This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



600010492M

32.

605.

QUAESTIONES SOPHOCLEAE.

EDIDIT

CONSTANTINUS MATTHIAE.

LIPSIAE
APUD WEIDMANNOS.
MDCCCXXXII.

605.

PATRI SUO

AUGUSTO MATTHIÆO

HAS DOCTRINARUM PRIMITIAS

EX ANIMO

DEDICAT

FILIUS.

PRAEFATIO.

Acerba sors philologorum est, quorum hodie magna pars hominum non solum omnem disciplinam cum graecis romanisque literis condemnat, sed ne hanc quidem gloriolam agnoscit divina veterum monumenta ad nostrae aetatis fructum usumque accommodandi. Vix enim annus praeteriit, quum in *Hespero* ephemeride multi, inprimis e Bavaria, clamitarent homines antiquas literas e scholis expellendas esse; quae bona ac salutaria in iis insint, ea versionum ope facile percipi posse. Quodsi, qui ita latrant, ipsi philologi essent vel certe gnari veterum literarum ac periti, mirum esset, sed tamen aequum tantam rem tamque grandem ab idoneo iudice iudicari. Incredibile est autem clamores istos ab iis maximam partem hominibus dissipari, qui *naturalistas* profiteri se solent, et qui, si tacerent, semel iusti essent, deinde prudentes: illud, quia ne callent quidem, quid sit philologia, quid graecum latinumque, hoc, quod a nemine audiuntur, sed risum omnibus movent: nam in proverbii paene consuetudinem venit illud nos fere studium ac literarum genus contemnere, in quo ipsi peregrini sumus. Ac multi quidem vel eruditi atque optimis artibus ornati viri et olim contenderunt et nunc contendunt hominibus ad veram humanitatem non

opus esse Graecorum et Romanorum literis, sed suae quemque aetatis ac patriae literis ad eandem ingenii vim atque altitudinem pervenire posse. Magnus hic locus est et magnum volumen peculiare desiderat; infinita de eo post hominum memoriam et scripta et disputata sunt, ut paene taedeat rem illam nostris praesertim temporibus recoquere, quibus gentes in excolendo informandoque ingenio maiores in dies progressus facere videantur. Et tamen haud scio, an nunc quum maxime opportunum sit tanti discriminis locum denuo examinare, ex quo metuendum est, ne propter turbas istas, quae abhinc annum Europae terras peragrabant, literae artesque negligantur, ex quo Germaniae inprimis populi, quae est infanda ruina gentis distractae ac dissipatae neque communi patrio vinculo coniunctae, principum quidem ac nobilitatis singularia iura circumscribentes, sed, quum iam publicam omnium salutem ante oculos habere debeant, sua ipsorum potius commoda ac beneficia sordide captantes, nihil magnopere de scholis ac disciplinis videntur laboraturi esse, quippe quae omnium maxime ad communem civitatis utilitatem pertineant. Quamquam hic neque temporis est neque loci hanc tam immanem materiam et quasi silvam disputandi vel aliquo modo absumere, neque in praesenti aliud quidquam intendere possum, nisi ut istam de studio veterum literarum quaestionem extremis, ut dicunt, digitis attingam. Quatuor sunt autem pretiosi fructus, quos adolescentes in scholis veterum linguarum studio sibi acquirunt: *mens acuitur, scientia augetur, mores emendantur, animus oblectatur.* Tritum est, quantam vim literae antiquae in universam Europam exercuerint. Tantum sana mens, tantum ratio sana praeter veritatis amorem ac fortitudinem requirebatur ad ingentes illos excitandos sacrorum motus, qui posthac *reformationis* no-

desinebant, tyrannis et summa principum potestas magis magisque post ruinosa moenia imperii pontificalis repellebantur, et maius in dies fiebat atque apertius inter gentes ac populos europaeos desiderium et rei publicae constituendae et libertatis ac iurum aequabilitatis. Tantum australes aliquot terrae densius sacrorum pontificiorum nebula obvolutae ad hunc diem post ceteras terras Europae relictae sunt. Ita gentes post reformationem veterum literarum beneficio trecentis annis maiores progressus fecerunt, quam ante reformationem millibus et quingentis annis. — Tritum est, ac modo monitum, eas praecipue terras humanitate ab aliis superari, in quibus literae, inprimis antiquae, maxime negligantur, sive, quod idem declarat, in quibus sacra pontificia invaluerint. *Britannia*, *Gallia*, etiam *Batavia*, *Dania*, *Suecia*, prae omnibus autem *Germania*, excepta Austria, inde a reformatione plurimum operae in studio antiquarum linguarum consumserunt atque reliquas Europae civitates omni ex parte gloriose anteeunt. *Hispania* et *Lusitania*, olim decora Europae ac sedes pulcherrimae poëseos, quibus novi atque immensi orbis magnificentissimis fructibus nos exornantis cognitionem debemus, vehementiora famosa inquisitione vulnera acceperunt et recentiore tempore tum Iesuitarum conatibus tum tyrannidis atque servitii plagis miserius contusae ac laceratae sunt, quam ut non saeculis demum interiectis omnino de literis cogitare possint. *Italia*, incunabula quondam artium ac literarum, perpauca tantum sub Paparum tutela excellentia ingenia procreavit, praesertim post reformationem, ubi studium antiquarum literarum in provinciis Papae parentibus tanto magis agitabatur et opprimebatur, quanto latius idem in reliquis Europae civitatibus serpebat. *Dante*, *Petrarca*, *Boccaccio*, etiam *Ariosto* et *Tasso* omnes ex eo

tempore prodierunt, ubi grammatici graeci, ut Chrysoloras, Bessarion, Iohannes et Constantinus Lascares, alii, abacti Turcis, qui tunc regno Imperatoris graeci bellum continuo intentabant, in terras occidentales profugerant atque hic, spretis papa et clericis, saluberrimas suas doctrinas disseminaverant. *Austria* quoque paparum et sacerdotum pontificiorum auctoritatem severius inde ab omni tempore secuta est, quam ut ibi et studium classicarum literarum et vera humanitas incrementa capere potuerit. Quis scit, an iam turpissimum et atrocissimum contra magnanimam Poloniam bellum omnium humaniorum animos gravissime perturbaret et iusta ira incenderet, si *Russia* inde a trecentis annis scholas et academias ad normam germanicarum institutas haberet. Quis scit, an non Europa *Turciam* laeto ac lubenti animo ad foedus suum adsciscerat, si ibi, ut futurum videtur, scholae et academiae constituerentur. Quae certa, quae locupletissima testimonia historiae studio literarum graecarum et romanarum vires ingenii incredibiliter *acui* et *expoliri!* Et quid est tandem, quod tam sit mirum hac in re atque insolitum? Nemo unquam negavit mentem humanam philosophiae studio mirifice subigi atque excoli. Sed idem valet in linguam graecam ac latinam, quarum ambarum ratio atque systema philosophia est. Structura verborum, discretio significationum, sententiarum inter se apta coniunctio, legum seu regularum observatio, accommodatio, distinctio, denique ipsa latine vel graece scribendi exercitatio — haec omnia sunt quasi exercitatio logicae, sed commodior faciliorque exercitatio, quare etiam antiquae linguae in omnibus scholae classibus, logica tantum in altioribus tractari solet. Dixit olim Lutherus:

„*Sprachen sind die Scheide, darin das Messer des Geistes steckt:*“

at non recentiores, verum antiquas, *mortuas*, quas vocant, linguas intellexisse Virum sapientem sponte intelliget, quicunque didicerit, quam toto coelo differant linguae antiquiores et recentiores, quam illae copiosae sint et affluentes, hae tenues atque egentes, illae molles ac faciles, hae tardae atque inhabiles, illae dispositae, solidae atque summa arte conclusae, hae incompositae, dissolutae atque omni arte vacantes, quam igitur illae subtiles atque plenae ingenii, hae exiles atque ingenii inopes. Tantum germanica lingua inter utrasque illas medium facile teneret, nisi iam dudum [turpe est dictu!] a pristina sua incorrupta integritate et elegantia abstracta atque gallicis pannis consarcinata et deformata esset.

Sed quanta est et quam iucunda messis *scientiae* ac *doctrinarum*, quam adolescentes studio veterum literarum faciunt. Quidquid sciremus, mancum et inchoatum esset, si Graecorum ac Romanorum scripta nobis interiissent, et maxima quaeque recentiorum literarum familiaritas inanis esset, nisi Graecorum ac Romanorum familiaritas accederet. Hic, hic omnibus disciplinarum generibus mirandum in modum dives perennis fons est praeceptorum et exemplorum, ad quem proh! pauci quidem omni tempore homines convenerunt, sed ex quo omnes haurire deberent, quicunque in aliquo vel studio vel arte vel negotio versantur, ut non modo ingenii opes ac facultates augerent, sed etiam progressibus et postulationibus aetatis nostrae honorifice satisfacerent. Qualis philosophus sine Platone, Aristotele, Luciano, Cicerone; qualis historicus et geographus sine Thucydide, Herodoto, Xeno-

phonte, Strabone, Pausania, Livio, Tacito, Sallustio, maxime Polybio; qualis naturae speculator sine Diodoro Siculo, Aristotele, Plinio; qualis inprimis poëta sine immortalibus omnium generum carminibus Graecorum et Romanorum. Atque in poëtis praecipue antiquarum linguarum in ingenium hominum vis cernitur: nam flos poëseos germanicae tum demum exorditur, quum studium classicarum literarum scholis et academiis vindicatum ac restitutum est, et praestantissimus quisque poëtarum nostrorum palam et ingenue fatetur se poëtas graecos ac romanos ad imitandum sibi proposuisse. *Klopstockius* dicit alicubi de Homero et Virgilio:

„Diesen [den Virgil] schliesst ewig mit Homer die Poësie in ihre Arme, umfasst den Griechen mit der Rechten und den Römer mit der Linken. Diese werden sicher bleiben vor dem Untergange; auf diese werden Dichter, die etwas Grosses wagen, blicken; diesen sollen, weil sie nicht überwunden und übertroffen werden können, die Thränen meines Wetteifers beständig fliessen.“

Similiter *Schillerus* de Homero:

„Ich lese fast nichts, als Homer; die Alten geben mir wahre Genüsse. Zugleich bedarf ich ihrer im höchsten Grade, um meinen eigenen Geschmack zu reinigen, der sich durch Spitzfindigkeit, Künstlichkeit und Witzelei sehr von der wahren Simplizität zu entfernen anfing.“

Alio loco idem:

„Es ist erstaunlich, wie viel Realistisches schon die zunehmenden Jahre mit sich bringen, wie viel der an-

haltende Umgang mit Goethen und das Studium der Alten, die ich erst nach dem Karlos habe kennen lernen, bei mir nach und nach entwickelt hat.“

Possem his alia aliorum testimonia permulta addere, nisi res notior ac pervulgatior esset, quam qua et spatium et tempus conteram. An poëtis et carminibus divinis in posterum renunciemus, quia hominibus quibusdam studium linguarum antiquarum superfluum esse videtur? Immo, si merita ac doctrinae usque, ut par est, respicerentur, neque theologum esse oporteret, quin Platonem, Aristotelem, Philonem, Apollodorum et philosophica scripta Ciceronis, neque iurisconsultum, quin Demosthenem, Aeschinem, Isocratem, Lysiam, Ciceronem et Quintilianum, neque medicum, quin Hippocratem, Galenum, Aretaeum Cappadocem et Pedianum Dioscoridem diligenter perlustravisset. Nominatim medicis in praesenti opera Aretaei unici pretii essent, qui medicus peritissimus in libro de *causis et signis morborum* II, 5 etiam de *Cholerae* [falsissime vulgo vocatur *Cholera morbus*], quae iam toti orbi summum terrorem iniicit, causis et signis, et in libro de *curatione morborum* II, 4 de eiusdem *Cholerae* curatione, quam nondum quisquam idoneam invenit, copiose et erudite disputat. Nam quidquid fremant ii, qui literas antiquas, quarum expertes sint, insectantur: Graeci ac Romani perpetuo manebunt omni in genere magistri et doctores nostri, atque ter mille aurea praecepta ac placita eorum ex ore fluunt, quae, etsi ex parte nostrae quidem aetati accommodari non possunt, tamen ingenium humanum ad quodlibet disciplinarum genus exacuunt, ornant, amplificant, atque perficiunt, ut, quaecunque haec nostra aetas nobis vel officia vel negotia imponat, ea tanto maiore cum sapientia,

peritia, solertia curemus et administremus. Atque hic facere non possum, quin praestantissimum locum Ciceronis adscribam, quem quidem multi iam ante me in eadem materia versantes usurpaverunt, sed qui hominibus satis inculcari et quasi in os inseri non potest, quia similitudo, qua ibi utitur Cicero, linguarum antiquarum in ingenium humanum vim tam enucleate et enodate explicat, ut ne tenuissima quidem mens amplius hac de re dubitare possit. Locus est Orat. I, c. 16,

„*Ut, qui pila ludunt, non utuntur in ipsa lusione artificio proprio palaestrae, sed indicat ipse motus, didicerintne palaestram, an nesciant; et, qui aliquid fingunt, etsi tum pictura nihil utuntur, tamen, utrum sciant pingere, an nesciant, non obscurum est: sic in orationibus hisce ipsis iudiciorum, concionum, senatus, etiamsi proprie ceterae non adhibeantur artes, tamen facile declaratur, utrum is, qui dicat, tantummodo in hoc declamatorio sit opere iactatus, an ad dicendum omnibus ingenuis artibus instructus accesserit.*“

Loquitur Cicero de iurisconsultis. Sed eadem similitudo natura sua etiam ad medicos atque theologos pertinet. Nam hi quoque quod agunt, palam ostendit, didicerintne tantummodo ea, quae ad concionandum atque ad morbum curandum desiderentur, an ex ingenio illa progerminaverint, quod studio antiquarum literarum frugibus aptatum et laetificatum sit. Quam ob rem iure ac merito recentiore tempore in aliquot terris lex constituta est, ut, qui ad publicam spectationem theologicam admissi velint, iuvenes in academiis certe philosophicas, historicas, item latinas et graecas scholas fre-

600010492M

32.

605.

tem! quasi eadem sint archetypum et versio, graecum vel latinum et germanicum? Nam haec est pestis veterum literarum, quod hodie toti acervi graecorum romanorumque vel poëtarum vel prosaicorum a primo quoque mercenario quasi per officinam in vincula germanica coniiciuntur, cui conatui neque scientia neque mens neque sententia subiecta est, verum una sola mercedis aviditas. Quo studiosius linguis antiquis opera navanda erit, ut homines, subacto et acuto iudicio, cognoscant sensa Graeci et graeca verba non magis posse divelli, quam animam et corpus. Quis non Germanus *Luisae* Vossianae vel tragoediae alicuius Schillerianae versionem vel anglicam vel gallicam aspernaretur? Quae non vel optima versio Shakespearii, ut germanicum quidem opus, manca perquam et imperfecta est? Quodsi iam hisce in linguis ingenii atque characteris distantia maxime conspicitur, quae tamen omnes communi nostrae aetatis ac memoriae veste indutae sunt, quaero, quanto magis diversitatem istam in *antiquioribus* et *recentioribus* linguis conspicuam esse oporteat, quae differunt inter se prorsus ut prisci temporis graecus homo vel romanus et venustulus homo germanicus. Dixi de hac diversitate paulo ante: quae etiam eo potissimum efficitur, quod *natura* ac *libertas* sunt, quarum dulci praesidio comitatuque lingua Graecorum et Romanorum ad admirabilem istam perfectionem adscenderit, quum in plerisque ceteris terris Europae prior, natura, non modo sub dio adhuc remanserit neque unquam in consuetudinem vitamque hominum intraverit, sed etiam subdialis longe inferior sit graeca ac romana, altera, libertas, Germanis praesertim, quibus ne oratio quidem libera concessa, satis adhuc incognita sit. Ita quaelibet vel per se optima versio, qualis est Schilleriana Iphigeniae Aulidensis, Schleiermacheriana Platonis, Wie-

landiana Horatii et Ciceronis epistolarum, cum archetypo si comparaveris, valde mediocre opus est. Et quis non homo politior, quum optio data sit inter mediocrem versionem et divinum archetypum, illam contemnat, hoc legat, relegat, imbibat? — Sed unum restat perridiculum. Nam si naturalistae philologos damnantes occurrunt salutaria veterum monumentorum e versionibus hauriri posse, necessario quaerendum est, primum: *adsuntne tandem tales versiones, quae salutaria ista vera ac genuina reddant?* deinde: *sive quae adsint sive non, quis tandem perficit eas, nisi philologi?* Vix unam praeter illas, quas ante posui, mediocrem versionem habemus, quae legibus artis vertendi omni ex parte satisfaciat. Quod non est mirum: nam pauci adhuc fuerunt, qui leges istas vel respicerent vel omnino cognossent. Quae sunt: I., *ut scriptor recte intelligatur,* II., *ut ei nihil eripiatur,* III., *ut versio germanica sit,* hoc est, ut indoli linguae germanicae prorsus conveniat. Plurimi eorum, qui adhuc operam locaverunt in arte vertendi, tantum secundam regulam observarunt, primam non potuerunt, ultimam non voluerunt observare. Vossiana versio Homeri et Virgilii, quae animum lectoris mirandum in modum tenet, quia argumenti splendor divinitasque in quolibet vestitu apparet atque elucet, prioribus duabus regulis satisfacit, tertiae minus; Solgeriana Sophoclis nec primae nec secundae satis, tertiae plane non; Langiana Herodoti secundae quodammodo; ceterae pleraeque nulli. Quanto est autem difficilius tres istas regulas in vertendo coniungere, tanto magis mirandum est, si primus quisque, qui paululum gustavit antiquas linguas, scripta Graecorum ac Romanorum ad libidinem vertenda sibi sumit. Soli philologi sunt, qui recte sciant vertere, et quibus vertendum sit, si esse debent versiones.

Quae quum ita se habeant, quum studium graecarum romanarumque literarum et ad ingenium acuendum et ad scientiam locupletandam et ad mores emendandos et denique ad animum tenendum oblectandumque tam mirandum in modum valeat, quis non vesanus exstirpet, praesertim e scholis, arborem, quae fructus illos tam suaves ac melleos, quam salubres ac divinos adolescentiae suppeditat? Sane quidem etiam alias disciplinas veterum linguarum studio adiunctas esse oportet. Etiam historia, physica, mathematica et in altioribus classibus philosophia mirum quantum ad vires ingenii augendas et expoliendas conferunt. Etiam in patria lingua, quae nostra aetate magis magisque adulterari atque corrumpi coepta est, et cui plerisque in scholis parum, quam decet, operae ac studii adhibetur, omni contentione elaborandum est. Tamen illud negari nequit omnium maximam in ingenia adolescentium vim studium antiquarum linguarum exercere, atque his si quis bene paratus exercitatusque sit, eum ad quodlibet non modo artium et literarum, sed omnino vitae ac negotii genus duabus potissimum virtutibus instructum accedere, ingenio acuto et locupletatis doctrinis. Quare non possum, quin pro magno doctrinarum progressu habeam, quod nuper Parisiae Comes *de Montalivet*, Consiliarius publicae institutionis, in solemni quodam gymnasiorum haec enunciavit, *studium classicarum literarum fundamentum esse debere, quo omnis adolescentium politior humanitas nitatur.* Iam verbum addo de philologis. Quos, etiamsi non philosophia, historia et geographia, rerum antiquarum cognitio ad regionem philologiae pertinerent, tamen puer quisque intelligit necessarios esse, quamdiu non barbara ista aetas appareret, ubi furiosi illi, qui *Iesu* Servatoris nomen ac studium male praetexunt, ubi Mystici lucifugi mundi imperio potiti

studium antiquarum literarum, inimicissimum illud machinationibus suis, de omnium terrarum scholis depellunt. Quae etsi, macte! longissime abest aetas, tamen cavendum erit, ne iis, qui docendis antiquis literis se dedunt, caeco impetu oppugnandis tenebrionibus istis inviti gratificemur.

Sed relinquo iam hanc disputatiunculam, quam ut scriberem, pellexit me cogitatio, quantos clamores tollerent misophilologi, si me hoc in opusculo, quod est in manibus, plus quatuor interdum paginis accentui graeco vel syllabae tribuisse scirent. Quamquam id ipsum mihi propositum fuit in hoc libello, ut de difficilioribus quibusdam locis Sophocleis quantum possem copiose et accurate disputarem. Quod si modo ita mihi successisset, ut ipsis philologis iusto nec longior nec brevior fuisse viderer, quidquid illi susurrent, nihil curarem. Iniqua autem fortuna cecidit, ut, quum poëtam, quem omnium maxime amarem, amore meo prosequerer, adversus eum vel facerem periculum pugnandi virum, quem non minus et diligerem et admirarer. Tibi enim, *Hermanne*, quod in hoc libro toties sum obloquutus, etsi, quaecunque didicerim, Patris mei et Tua sunt, Tuam viam quod toties deserui, quo nomine defendam, nisi tum veritatis, tum erga Sophoclem immensi amoris nomine? Tamen haec ipsa veritas, cuius Te fortior nunquam et gloriosior propugnator surrexit, tamen liberalitas Tua, qua impugnari Te a tirone facile pateris, denique admirandus ingenii Tui ardor ac vigor, quo non vis anxie quemquam et timide in literarum campum descendere, mihi persuadent Te adeo pergraviter laturum fuisse, nisi, in quibus mihi abs Te recedendum videretur, libere professus essem. Et profecto pessime consilio Tuo obtemperassem, quod mihi Lipsia discedenti pulcherrimam vitae dotem

dedisti, *ut, quaecunque aggrederer, strenue acriterque peragerem*, si aut omnino reformidassem hocce opus, quia Sophocles a Te iam divinitus tractatus esset, aut totum per Sophoclem in Tua verba iurassem. Scio quidem perbene me a Te splendide refutatum iri, si quidem tanti esse Tibi videbitur: tamen hicce libellus meus honestissimum fructum perceperit, si hoc effecero, ut, quum iis de locis, in quibus Tibi intercessi, uberius ac fusius explicueris, clarior et luculentior evadat veritas.

Scripsi Altenburgi mense Septembre MDCCCXXXI.

Caput I.

ANTIGONA.

§. 1.

Ab initio Antigonae haec leguntur:

Ὦ κοινὸν αὐτάδελφον Ἰσμήνης κάρα,
ἆρ' οἶσθ' ὅ τι Ζεὺς τῶν ἀπ' Οἰδίπου κακῶν
ὁποῖον οὐχὶ νῷν ἔτι ζώσαιν τελεῖ;

Duplex hoc loco virorum doctorum sententia est, aliorum, in primis Seidleri, antiquam codicum scripturam *ὅ τι* servantium, aliorum, qui cum Hermanno *ὅτι* in unam vocem conflatum legunt. Ac prior quidem V. Cel. quam loci explicationem exhibuit, ea Hermanno, licet *ὅτι* non improbanti, satis visa est ad defendendum *ὅ τι* in loco Antigonae. Itaque in plerisque editionibus vulgata restituta est. Vertit autem Seidlerus *ὅ τι ὁποῖον, quodnam — cuius generis malum*, dicens, ubi cum vi quadam interrogetur, Graecos non raro et in recta et in obliqua oratione binas ponere voces interrogativas sine copula. In quo primum ipsam Viri eruditissimi interpretationem non satis accuratam esse puto. Quid enim facilius potest ac maiore iure subiici his verbis, *scisne, quodnam — cuius generis malum Iupiter non nobis viventibus immittat*, quam exstare aliquod malum, abs quo vita Antigonae et Ismenae immunis servetur? Certe sententia ista valde ambigua est ac parum perspicua, neque etiam verbis poëtae accommodata, siquidem haec ita cohaerent: *ἆρ' οἶσθα τῶν ἀπ' Οἰδίπου κακῶν* [*κακὸν*], *ὅ τι ὁποῖον Ζεὺς οὐχὶ νῷν ἔτι ζώσαιν τελεῖ;* h. e. nullum est malum, quin Iupiter etiam viventibus nobis immittat. Concessa igitur duplici ista interrogatione, tamen hic sensus et rectior et

clarior et magis proprius est: *scisne malum, quod, quale non nobis immittat Iupiter.* Deinde vero quae ad usum istum duplicis interrogationis explanandum V. D. exempla praemunivit, ea, vereor, ne, si diligentius ponderaveris, ex parte huc ne pertineant quidem, sed paulo diversae rationis sint et in diversas partes describenda. Nam quamvis omnia ad unum genus pertineant ita, ut omnino interrogationem proponant, quae duplex est, aequum est tamen discernere ea, quorum diversa principia sunt. Etenim duo videntur genera eorum locorum esse, ubi duplex interrogatio in una verborum comprehensione iungitur. *Prioris* ea videtur ratio, ut, quum omnis ambarum interrogationum discrepantia nonnisi in vocibus interrogativis conspiciatur, utroque interrogationis membro separato, utrumque plenum sit atque perfectum. Nam quum his prioris generis interrogationibus fere vis quaedam ac pondus subsit, earum membra non ita cum Hermanno seiunxerim, ut alterutrum quodque mancum inchoatumque sit. Haec ipsa vis enim ac pondus, si modo subest, flagitat, ut, quodcunque interroges, plenum sit atque expressum; alioqui vim totam amittit interrogatio. Si, verbi causa, Homericum illud *τίς, πόθεν ἔσσι*, quod apertissime vim quandam ac momentum interrogationis prae se fert, sic dissecas: *τίς ὢν — πόθεν εἶ*, prius membrum *τίς ὢν* vi omni nudum est atque tota interrogatio secum ipsa quodammodo pugnat. Accedit huc, quod eadem duo membra interrogationis, in quae proprie distrahendam hanc duplicem interrogationem puto, hoc ipso modo distracta ac separata inveniuntur, ut *τίς εἶ; πόθεν εἶ;* et apud Latinos *quis dedit? cur dedit?* quod etiam sic exprimere licuisset: *quis, cur dedit?* Et quidem horum exemplorum *aut* is fons est, ut vel curiositate ductus vel certo consilio vel nescio quam aliam ob causam unum de re aliqua cognosse non satis habens insuper alterum quid scisciteris, ut in *τίς, πόθεν ἔσσι;* h. e. *τίς εἶ; πόθεν εἶ;* Eurip. Heracl. 656 [ed. Matth.], *ἀτὰρ τί, χώρᾳ τῇδε προσβαλὼν πόδα, ποῦ νῦν ἄπεστι;* h. e. *τί νῦν ἄπεστι, ποῦ νῦν ἄπεστι;* Hel. 1543, *πῶς, ἐκ τίνος νεὼς ἥκετε;* h. e. *πῶς ἥκετε, ἐκ τίνος νεὼς ἥκετε;* Iphig. Aul. 345, *τίνα πόρον εὕρω, πόθεν;* [sic enim scribendum cum Seidlero pro *ποθὲν*] ex *τίνα πόρον εὕρω, πόθεν*

πόρον εὕρω; Soph. Antig. 397 [ed. Herm.], ἄγεις τήνδε τῷ τρόπῳ, πόθεν λαβών; ex τῷ τρόπῳ λαβὼν τήνδ' ἄγεις, πόθεν λαβὼν τήνδ' ἄγεις; Idem fit in oratione obliqua. Soph. Ant. 1324, οὐδ' ἔχω ὅπᾳ, πρὸς πότερον ἴδω, h. e. ὅπᾳ ἴδω, πρὸς πότερον ἴδω. *Aut*, id quod rarius, rhetorica causa est, hoc est, vel ab ardore animi vel ab arte oratoria vim aliquam captante duplex interrogatio proficiscitur. Huius generis apud Ciceronem pro Milone cap. 14 eximium exemplum exstat: *quem si interficere voluisset, quantae, quoties occasiones, quam praeclarae fuerunt:* etsi haec potius exclamatio, quam interrogatio est. Atque in his omnibus, ut obiter addam, particulas duas interrogativas commmate dividendas esse sponte intelligitur. Nam quamvis sciam antiquiores Graecos parcissimos fuisse in interpungendo, tamen quum haec sequentium temporum consuetudo inveteraverit, ut istius modi signa adhiberentur, ubicunque iis omissis lector vel turbari vel retardari posset, nusquam interpunctionem aptiorem et opportuniorem esse puto, quam in hoc genere duplicis interrogationis.

Alterum genus duplicis interrogationis hoc esse arbitror, ubi, si ambo eius membra disiunxeris, alterum utrum mancum et imperfectum est; quod ut expleatur, mente vel substituendum est aliquid, vel eorum, quae adsunt, aliquid immutandum. Atque huius generis non dubium est, quin fundamenta egerit anacoluthon, hoc est, unius in eas partes distractio, quarum ex legibus grammaticis neutra cum altera cohaereat. Nempe hic fuit Graecorum et ingenii vigor et alacritas et linguae copia et ubertas, ut persaepe in sermone duas simul ad unam sententiam exprimendam loquutiones in promtu habentes, has duas in unam confunderent et, altera subito interrupta, alteram agglutinatam substituerent. Hic autem si quis cum vi quadam interrogari dixerit, ipsam duarum loquutionum coniunctionem negaverit. Nam quum omnino geminata huius generis interrogatio proprie una sit, quae neque consulto in duas conversa est neque conversa duplicem sententiam habet, ut in priore genere, sed unice ardore Graecorum ac vegeta mente, qua plura in unum permiscuerunt, formam duarum induit, tum haec ipsa duarum interrogationum confusio tantum abest, ut vim quandam

ferat, ut negligentiam potius levitatemque prodat. Cum vi autem qui interrogare vult, necesse est graviter distincte et composite interroget; alioqui non potest non vana esse interrogatio et a proposito aberrare. Pertinet autem ad hoc genus primum illud, quod Seidlerus non iusto loco attulit ex Eurip. Helena v. 873, *τί τἀμὰ πῶς ἔχει θεσπίσματα;* Post *τί τἀμὰ* abscidit poëta sermonem hoc subdens synonymum *πῶς ἔχει*. Soph. Ai. 1164, *τίς ἆρα νέατος ἐς πότε λήξει πολυπλάγκτων ἐτέων ἀριθμός;* ex *τίς ἆρα νέατος ἔσται ἐτέων ἀριθμὸς* et *ἐς πότε λήξει ἐτέων ἀριθμός*. Etiam locus Trach. 420 huc pertinet, licet iam propior priori generi, *τίς πόθεν μολὼν σοὶ μαρτυρήσει ταῦτ' ἐμοῦ κλύειν;* ex *τίς ποθεν μολὼν σοὶ μαρτυρήσει* et *πόθεν τις μολὼν σοὶ μαρτυρήσει*. Porro huc censeo trahendos esse permultos eos locos, ubi duo relativa per anacoluthon deinceps ita sese excipiunt, ut alterum sit pro demonstrativo; ut Soph. Ai. 906, *οἷος ὢν οἵως ἔχεις*, ex *οἷος ὢν τοιοῦτως ἔχεις* et *οἵως ἔχεις τοιοῦτος ὤν*. Item in orat. obl. Ai. 496, *ἴδετε τὴν ὁμευνέτιν Αἴαντος, οἵας λατρείας ἀνθ' ὅσου ζήλου τρέφει*, ex *οἵας λατρ. ἀντὶ τόσου ζήλου τρέφει* et *ἀνθ' ὅσου ζήλου τοιαύτας λατρείας τρέφει*. Hoc Latini imitati esse videntur in iterando pronomine *uter*, ut Cic. pro Mil. *numquid aliud in iudicium venit, nisi uter utri insidias fecerit?* quod mixtum est ex *uter* alteri *insidias fecerit* et *utri* alter *insidias fecerit*. Falso autem huc numerant locum Soph. Oed. Tyr. fin.

ὦ πάτρας Θήβης ἔνοικοι, λεύσσετ', Οἰδίπους ὅδε,
ὃς τὰ κλεὶν' αἰνίγματ' ἤδη καὶ κράτιστος ἦν ἀνὴρ,
ὅστις οὐ ζήλῳ πολιτῶν καὶ τύχαις ἐπιβλέπων,
εἰς ὅσον κλύδωνα δεινῆς ξυμφορᾶς ἐλήλυθεν.

Iungenda hic sunt *λεύσσετ', εἰς ὅσον κλύδ. ξυμφ. Οἰδίπους ὅδε ἐλήλυθεν*. Scilicet ad *ἐπιβλέπων* ex antecedenti versu supplendum est *ἦν*; quod eo maiorem hoc loco non modo excusationem, sed etiam commendationem habet, quod sermo non est de occasione quadam, ubi Oedipus civium fortunis non invidebat, sed omnino de more eius ac consuetudine illis non invidendi, ubi Latini dicunt *non invidum esse*. Sic omnia recte et bene habent. Vid. Cap. II, §. 7.

Reliquum est, ut de Platonico illo *πῶς, τί* sententiam nostram exponamus, quod idem Seidlerus ad numerum duplicum interrogationum, quibus vis quaedam subsit, adscripsit, nisi iam tempus esset locum nostrum Antigonae absolvendi. Qui quo referri debeat considerantes videmus neque duarum interrogationum permixtionem ibi cogitari posse, neque idoneam causam esse, cur Antigona una voce interrogativa *ὅ τι* non contenta alteram addiderit *ὁποῖον*. Restat igitur rhetorica ratio, quae ut ipsa huc quadret, sic statuendum est, Sophoclem aut animi motum atque affectum Antigonae genere isto sermonis imitari voluisse, aut dixisse id, quod iam Seidlerus quodammodo significavit, *nullum*, *nullius generis* fuisse malum, quod non Antigonae et Ismenae acciderit. Quae explicandi via si cui satisfaciat, equidem non refragabor scripturae *ὅ τι*, quam vulgatam vocant; quamquam eam librariorum potius vulgatam scripturam dixerim, quum in codicibus *ὅτι* et *ὅ τι* vix ullo discrimine impressa fuerint, neque evidentius sit quidquam, quam librarios quaerentes, *OTI* utrum particula, an relativum sit, ad unum omnes id potius arripuisse, quod intelligerent, relativum, quam id quod minus, particulam. Hanc illis novam insolentemque visam esse ostendit locus Oed. Tyr. 1388, ubi etiam Hermannus sic sentit, scripturam aliquot codicum et editionum *ἔτι* nil esse nisi grammaticorum coniecturam, qui *ὅτι* explicari non posse putarent. Sed illud negari nequit, etiam rhetoricam artem a verbis Antigonae alienam perquam esse atque *ὅ τι — ὁποῖον*, quomodocunque explicetur, manere vanam ac languidam gradationem, quae neque animi commotioni exprimendae recte inserviat, neque alia ulla idonea causa nitatur. Quum autem codices hoc nostro loco parum momenti habeant, et quum in Oed. Tyr. v. 1388 exemplum inveniatur, quod nostro similius est, quam ut non utriusque eadem ratio sit atque constructio, *ἆρά μου μέμνησθ᾽ ὅτι οἷ᾽ ἔργα δράσας ὑμὶν, εἶτα δεῦρ᾽ ἰὼν ὁποῖ᾽ ἔπρασσον αὖθις* quis dubitabit hic quoque pro vero agnoscere id quod Hermannus dedit, *ὅτι*. Nunc quomodo locus sit explicandus, et per se non est difficile et idem V. Clar. extendit ad Vigerum p. 300. Duae sunt enim per anacoluthon constructiones coniunctae, una, *ἆρ᾽ οἶσθ᾽, ὅτι Ζεὺς τῶν ἀπ᾽*

Οἰδίπου κακῶν οὐδὲν λείπει [vel tale quid], *ὁποῖον οὐχὶ νῷν ἔτι ζώσαιν τελεῖ*, quae constructio post *κακῶν* incisa est altera *ἆρ' οἶσθα τῶν ἀπ' Οἰδίπου κακῶν, ὁποῖον Ζεὺς οὐχὶ νῷν ἔτι ζώσ. τελεῖ.* Qui loquendi modus in promtu est, quanto sit aptior ad declarandum motum Antigonae, quam misera ista ac debilis accumulatio *ὅ τι — ὁποῖον*. Neve attentes locum Oed. Tyranni, in quo gaudendum est *ὅ τι* a nullo libro exhiberi.

Redeo ad locutionem *πῶς, τί*. De qua disputantem Zehlickium, in dissertatione de aliquot locis Antigonae ante quadriennium fere edita, recensuit nuper Hermannus in praefatione novissimae editionis Antig. p. VI sqq. In quo si Hermanno maxima ex parte assentior, assentior ita, ut non dubitem, quin sit revera duplex interrogatio illud *πῶς, τί*. Atqui videtur mihi uterque vir doctus in eo non leviter peccavisse, quod de ratione huius duplicis interrogationis disputaverunt, antequam hoc demonstraverant, esse revera illud, de quo disputarent, duplicem interrogationem: quod nego. *Πῶς, τί* natura sua dici posse certum est: nam possunt interrogari duo, modo adsint particulae duae interrogativae, sicut adsunt in *πῶς τί*. Ac patet diversa esse haec duo, quae interrogari possunt: significant enim diversa, quae diversa sunt. Etsi neque hoc potest negari illa *πῶς* et *τί*, quantumvis diversa forent cum quovis alio verbo constructa, tamen ad idem paene redire in hoc verbo *dicendi*, quod prorsus respondet nostro *meinen*. Est enim horum verborum tam ampla atque universa notio, ut declarantes, *quid* sit, quod dicatur, simul declaremus *modum*, *quo* id dicatur, et contra. Sic *πῶς τοῦτο λέγεις* et *τί τοῦτο λέγεις* [h. e. *τί ἐστι τοῦτο, ὃ λέγεις*] non differunt, nisi ut prius sit, *wie meinst du das*, alterum, *was meinst du damit*, in quibus vix quisquam multum quid discernat. Itaque non prorsus falso Zehlickius, quod illa duo eadem esse contenderat, modo ne distinxisset *πῶς, τί λέγεις* et *πῶς, τί τοῦτο λέγεις*, quae sunt eiusmodi, ut quod de uno, de altero quoque valeat, neve propter hanc similitudinem omnino dici posse negavisset *πῶς, τί τοῦτο λέγεις*. Nam potest haec loquendi ratio ad eorum pleonasmorum genus referri, qui pleonasmi quidem a nobis dicti grammaticae

nimis studiosis, revera nihil sunt nisi artificium quoddam rhetoricum, quo scriptor, quae fuit linguae Graecae copia et abundantia, unum idemque diversis modis exprimens longe et clariorem et graviorem oculis lectorum orationem obiicit. Ita geminatio interrogationis in *πῶς, τί τοῦτο λέγεις* non modo ad eliciendam idoneam responsionem, sed etiam ad rem ipsam explanandam et maiore cum vi proponendam non paulum forsan faceret. Eius consuetudinis tot millia apud Graecos exempla sunt, ut dubitari de ea nequeat, et Plato inprimis quam illius artis peritissimus fuerit, notum est. Itaque hactenus non habemus, quod duplici interrogationi *πῶς, τί* repugnet. Iam vero tota ista locutio quatuor fere locis Platonis absolvitur: his, quaeritur, utrum duplex interrogatio conveniat. Priores duos simul apponam, sunt enim natura sua persimiles. Unus est in Timaeo p. 22, B, *καί τινα εἰπεῖν τῶν ἱερέων εὖ μάλα παλαιὸν, ὦ Σόλων, Σόλων, Ἕλληνες ἀεὶ παῖδές ἐστε, γέρων δὲ Ἕλλην οὐκ ἔστιν. Ἀκούσας οὖν, πῶς, τί τοῦτο λέγεις; φάναι*, alter in Sophista p. 261, E, ubi Theaeteto disputanti vocabula partim consonare, partim non consonare hospes Eleates respondet, eum forsan hoc dicere, vocabula, quae continuo ponantur et aliquid exprimant, invicem consonare, quae vero continuata nihil significent, dissonare; hic ille rursus: *πῶς, τί τοῦτ' εἶπες;* Utrobique non multis opus est: utroque enim loco planissimum est hoc universum interrogari, *wie meinst du das*, Quod immutari probe posse ita, ut duplex fiat interrogatio *πῶς, τί*, ex iis, quae disputata sunt, satis apparet. Aliud est in alteris duobus locis, quorum prior est in Hippia Mai. p. 297, E, ubi Socrates dicit ad Hippiam: *ὅρα γὰρ, εἴ ὃ ἂν χαίρειν ἡμᾶς ποιῇ, τοῦτο φαῖμεν εἶναι καλὸν, πῶς, τί ἄρ' ἂν ἀγωνιζοίμεθα;* Qui quamvis totus paulo impeditior locus sit, tamen hoc facile est intellectu, nihil ineptius ibi esse posse pronomine interrogativo *τί*, quod et a sententia loci et a loquendi consuetudine prorsus abhorret. Confugiendum est igitur ad adverbium, ut sit nostrum *was, wozu*; et recte quidem: nam sensus manifesto hic est: *vide, si, quodcunque nos [audientes et videntes] delectat, pulchrum id nominaremus, quorsum tum disputaremus*, h. e. tum omni disputatione supersederemus: *wenn wir alles*

das schön nennten, was uns beim Hören und Sehen ergötzt, dann wären wir des Streitens überhoben. At iam duo me maxime offendunt, primum particula πῶς, cuius legitima vis parum huic sensui accommodata est, deinde tota duplex interrogatio, quae mihi ne ipsa quidem naturae loci apta videtur esse. Πῶς etsi interdum ita ponitur, ut ad notionem *cur* proxime accedat, nunquam est tamen id, quod hic poscitur, *quid* seu *quorsum;* et si Hermannus, ceteroqui recte, πῶς, τί ἄρ' ἂν ἀγωνιζοίμεθα vertit, *quid tandem contendamus*, quaero, aut si τί tantum versum est, quidni etiam πῶς, aut si utrumque, quomodo id per vim vocis πῶς fieri potuerit. Porro duplex interrogatio locum quidem habet, ubi quo latior copiosiorque sermo, eo res ipsa clarior est ac dilucidior, non tamen, ubi, ne sit copiosus latusque sermo, rei festinatio interdicit. Sententia ista Platonis πῶς, τί ἄρ' ἂν ἀγων. eiusmodi est, ut festinationem quandam ac brevitatem repraesentet, quasi dicatur: *tum expedita* seu *confecta res est.* Pugnat autem secum exprimere vel paululum longius id, quo exprimitur brevitas. Itaque de hoc tertio loco Platonis nunc tantum dico, eum non posse accenseri directo iis, ubi duplex interrogatio exstet. Venio ad postremum locum, qui est in exordio Ionis p. 530, A, ubi narrantem Ionem se Megalasclepieis interfuisse et certaminibus musicae ab Epidauriis institutis Socrates interrogat: τί οὖν; ἠγωνίζου τι ἡμῖν; καὶ πῶς, τί ἠγωνίσω; Sensus est apertissimus; voculae tantummodo moram faciunt. Hic miror Hermannum mirantem, quod Zehlickius priorem illum locum Hippiae Maioris corruptum esse putaverit, quum hunc similem Ionis, qui sit corruptus, non putaverit esse corruptum. Profecto ego quoque non prorsus sanum hunc Ionis esse existimo, at longe saniorem tamen priore illo. Sed sufficit laborare utrumque. Hoc quidem loco τί ἠγωνίσω non esse verum, omnes, credo, consentiunt, qui vident hic unice agi de *modo*, *quo* Ion certaverit atque ad hunc exprimendum τί esse omni ex parte ineptum ac falsum. Ita neque hic locus ad eos pertinet, ubi duplex interrogatio exstat.

Habemus igitur e quatuor illis exemplis, quibus tota locutio πῶς, τί continetur, duo tantum, quae duplicem interro-

gationem admittant. Quod quum iam per se valde suspectum sit locutionis alicuius duo tantummodo exempla inveniri, fit hoc etiam suspectius ipso usu Platonis. Nam primum Plato nunquam usurpat πῶς, τί, mutato aut genere aut casu, igiturque nec dicit πῶς, τίνα, nec πῶς, τίνος vel πῶς, τίνι vel πῶς, τίνας vel alia huiusmodi. Quin ne ἀνάλογα quidem obvia sunt, ut πῶς, ποῖον vel πῶς, ποῖα et quae praeterea dicuntur mutato casu ac genere. Et tamen, id quod alterum est et quod iam Zehlickius ex parte monuit, saepissime inveniuntur, inserta copula, haec: πῶς δὴ καὶ τίνων, πῶς καὶ τίνι, πῶς τούτω καὶ τίνε, item ἀνάλογα: πῶς δὴ καὶ ποίων, πῶς δὴ καὶ ποῖα, πῶς δὴ τοῦτον καὶ πότε, πῶς καὶ πρὸς τί; etiam inverso ordine, ποίαν καὶ πῶς, ποῖα καὶ τίνι, et sic porro. Quinimmo, id quod inprimis suspicionem movet, pluries πῶς, τί legitur mutata forma, ut πῶς δὴ καὶ τί, πῶς ἄν καὶ τί τοῦτο, et similiter. Qua re quid efficitur? Efficitur certe hoc, duplicem interrogationem, inserta copula, genus loquendi esse usitatissimum Platoni, contra πῶς, τί esse mirabili ac singulari quodam modo dictum, praesertim quum alias copulam omittere non consueverit Plato. Hic temerarium forsitan esset mutare quid velle in πῶς, τί, si nesciremus, quo exeundum; iam vero tam proximum est effugium, ut paene non sit effugium. Duplex est enim commodissima via, qua insolens illud πῶς, τί vitemus. Alteram iam Zehlickius aperuit distingui iubens πῶς; τί λέγεις; Et sic cum Cod. Bas. 2 Ficinus et Stephanus in loco Sophistae. Est id tam conveniens dictioni Platonicae, ut vix quisquam huic scribendi generi rarum novumque πῶς, τί praeferre possit. Videlicet πῶς nunc separatum est neque cum λέγεις ullo vinculo coniunctum. At habet haec ratio aliquantulum incommodi propterea, quod duos tantum ad locos Platonis applicari potest, ad reliquos plane non. Adeamus igitur ad alteram viam, qua scribitur πῶς τι, ut sit τι pronomen indefinitum adverbialiter positum. Quae via fautores habet non contemnendos: dixit enim iam Buttmannus in secunda edit. Heind. ad Hippiam Mai. p. 179, rectius ubique rescribi πῶς τι; atque sic iam ediderunt Bekkerus in loco Timaei p. 22, B et Stallbaumius in Ione p. 530, A; habet sic etiam Bipontina

in II. cc. Timaei et Hippiae Maioris. Hac in scriptura non iure reprehendi, quod solet, putidum et ineptum indefinitum τι esse, egregie ostendere videtur opportunus locus Ionis, ἠγωνίζου τι ἡμῖν; καὶ πῶς τι ἠγωνίσω; Ubi aut utrumque τι ineptum est aut neutrum: sunt enim hae interrogationes ad sensum plane eaedem, nisi quod altera praepositum habet πῶς. At hac voce interrogandi τι minime excluditur, praesertim quum interrogatio ista altera ex his proprie composita sit: καὶ πῶς ἠγωνίζου, εἴ τι ἠγωνίσω; Quid autem? si τι ineptum in πῶς τι, cur non item ἄλλο τι, οὔ τι, μή τι, σχεδόν τι, πάνυ τι, πολύ τι, οὐδέν τι, πάλαι τι, οὕτω τι, ἧττόν τι, διαφερόντως τι, τι μᾶλλον et huiusmodi aliis? quae tamen omnia Graecorum frequentissimo usu stabilita sunt. Nihilo magis, quam in his, τι illud in πῶς τι ineptum est. Sed habetur pro inepto, quia non statim perspicitur, quid sibi velit. Est enim eius, ut plerarumque particularum Graecarum, tam subtilis ratio atque natura, ut Valckenarius ad Eurip. Hippol. 792. vel saepe πλεονάζειν id dicat. Quod ipsum etiamsi non contenderim, tamen sic statuo, nihil de eo sciri posse, nisi, quod usu eius cognovimus, valere τι ad notionem vocabuli, cui adiectum sit, minuendam paululum vel molliendam, ubi nos fere *etwa, etwas* usurpamus, hoc autem quasi lenimento quando uti vellet, ex arbitrio cuiusque scriptoris pependisse, neque igitur ex vi eius posse explorari, ubi ponendum sit, ubi non. Quo minus audiendi mihi videntur ii, qui contenderunt τι omittendum esse post πῶς. Potius haec ipsa particula, optime fieri potuit ut illum in modum molliretur, dicereturque, quod nos *wie — wohl.* Itaque scribendi rationi πῶς τι nihil repugnat, nisi forsan quod rara est. At modo mutaveris usquequaque πῶς, τί in πῶς τι, habebimus statim plura huius locutionis exempla. Interea, quantum scio, διαφερόντως τι semel tantum apud Thucydidem, πάλαι τι semel tantum apud Platonem, οὕτω δή τι semel tantum apud Herodotum reperiuntur et tamen labefactari nequeunt, quia sunt millia exempla, ubi τι omnium generum vocabulis adiectum est. Omnino enim hac in re non tam vocabulum urgendum est, cui inhaeret τι, quam universus huius adverbii usus respiciendus, quia adverbium non a vocabulo pendet, verum voca-

bulum ab adverbio; nec, credo, in πῶς γε quisquam quaereret, utrum haec etiam alibi sic iuncta reperirentur, sed, utrum γε omnino ita usurpari soleret. Videmus πῶς τι omni ex parte tutum esse. Atque hoc restituendum puto in loco Timaei, Sophistae et Ionis. In Hippia maiore vero, ubi totum πῶς perabsurdum est, facillimum et aptissimum mihi videtur, quod coniecit Sydenham: πρὸς τί γὰρ ἂν ἀγωνιζοίμεθα, nisi quod temere γὰρ pro ἄρ'. Est hoc πρὸς τί mori Platonis valde accommodatum et facile potuit per imprudentiam librariorum in πῶς τί corrumpi. Restat locus Platonis in Philebo, p. 58, A, ubi, inverso ordine, legitur: σὺ δὲ τί πῶς διακρίνοις ἄν; In recentiore editione Stallbaumii pro iis scriptum est σὺ δὲ δὴ πῶς τοῦτο διακρίνοις ἄν, quod qua auctoritate nitatur, nondum potui investigare; certe ex notis criticis Bekkeri codices omnes consentiunt praeter unum Σ, qui habet σὺ δὲ τί καὶ πῶς. Τί, πῶς per se non minus dici posse, quam πῶς, τί perspicuum est, quamquam subdubito, an probe dicatur διακρίνειν τι pro τινι τρόπῳ. Hoc certum est, si πῶς, τί a consuetudine Platonis abhorreat, multo magis abhorrere τί, πῶς, quod unico hoc loco legitur. Quare sic distinguendum puto: σὺ δὲ τί; πῶς διακρίνοις ἄν; Est hoc aptissimum ac paene necessarium, quia Socrates a se ipso ad Protarchum transit, atque in transitionibus hoc esse solemne loquendi genus Graecorum constat. Caeterum attendendum est ad optativum διακρίνοις ἄν, qui penitus respondet indicativo, adiecto adverbio τι. Quod enim dixi significare hoc τι wohl, etwa, neque optativo aliud quidquam significatur, ita ut Plato eodem iure dicere potuisset πῶς τι διακρίνεις; Est hoc novum praesidium ad commendandam scripturam πῶς τι, praesertim quum optativus in talibus interrogationibus etiam alibi a Platone frequentetur.

§. 2.

V. 349 sqq.

λασιαύχενά θ'
ἵππον ὑπάξεται ἀμφίλοφον ζυγὸν
οὔρειόν τ' ἀδμῆτα ταῦρον.

Locus hic turbas fecit interpretibus propter futurum ἄξεται.

Quod si verum, corrigendum est utique ὑπάξεται, tum propter metrum, tum propter accusativum ζυγὸν, qui alioquin explicari nullo modo potest. Forsan propter antecedentem syllabam ἐπ simillimae formae praepositio evanuit. Futurum autem utrum verum necne, multum disputari potest. Hermannus locum antiquitus foede corruptum iudicans sic refingendum putat: λασιαύχενά θ' ἵππιον ἑξέτε' ἀμφὶ λόφον ζυγοῖ. Quae licet ingeniosissima sit coniectura, tamen artificiosior mihi videtur, quam verior. Nimia non placet adiectivorum coacervatio, nec novum vocabulum ἀμφιζυγοῦν, inprimis per tmesin disiunctum, nec denique concinunt λασιαύχην λόφος, quae sunt *cervices villosarum cervicum*. Acquiescendum est in vulgata ὑπάξεται, modo ne id iis locis adnumeretur, ubi futuro tempore, quid fieri soleat, indicatur. Constat futurum tempus significans aliquid, quod omnino futurum esse cogitamus, significare ita, ut perfectum id iri *aut* certum sit, *aut* incertum et verisimile tantum. Prius genus tritum est ac vulgatum neque eget disputatione. Rarius et exquisitius alterum quasi problematicum est; cuius quidem haec esse origo videtur, ut conditio aliqua subsit. Conditionis autem diversa ratio est, aut ea, ut futurum quid esse auguremur, quia sub conditione aliqua fieri illud *possit*, aut quia sub conditione aliqua fieri *soleat*, aut quia sub conditione aliqua fieri *debeat*. Ita Futurum significat etiam id, quod *potest* fieri, quod *solet* fieri, et quod *debet* fieri. Ultima ratio, ut exemplo utar, eorum locorum est, ubi Futurum vicibus Coniunctivi fungitur, ut τί δράσομεν, *quid facere nos oportet*, quod proprie est: *quid faciemus, quantum in te est*, vel, *si te secuti erimus*, v. Eur. Ion. 778. Porro, ubi Futurum Imperativum excipit, ut γνώσεαι Ἀτρείδην Ἀγαμέμνονα, Iliad. 10, 88. *scito Agamemnonem me esse*, proprie: *cognosces Agamemnonem, si accuratius me inspexeris*. Cf. Xen. Mem. II, 1, 17. Addita est ipsa conditio Xen. Hist. Gr. II, 3, 34, ὑμεῖς οὖν, ἐὰν σωφρονῆτε, οὐ τούτου, ἀλλ' ὑμῶν φείσεσθε. Alterum ad genus, ubi Futurum significat id, quod fieri *solet*, pertinent talia, quale est Herodoti I, 173, καλέουσι ἀπὸ τῶν μητέρων ἑωυτούς, καὶ οὐκὶ ἀπὸ τῶν πατέρων. εἰρομένου δὲ ἑτέρου τὸν πλησίον, τίς εἴη, καταλέξει ἑωυτὸν μήτροθεν καὶ

τῆς μητρὸς ἀνανεμέεται τὰς μητέρας, *a matre stirpem repetere solet matrisque enumerare matres;* adest hic quoque ipsa conditio: *si usu veniat, ut quis ex altero quaerat.* Ad tertium denique genus, ubi significatur Futuro, quod fieri *potest*, hunc locum Sophoclis referendum puto, ἵππον ὑπάξεται ἀμφίλοφον ζυγὸν h. e. *equum domare scit*, quod fuit proprie: *si occasio fuerit, si volueris*, vel, *si voluerit, domabit equum.* In quo fateor me quidem nondum videre absonum illud, quod videt Hermannus. Etiamsi enim aliquantulum langueat hoc *domabit equum, si voluerit*, tamen origo tantum languet, non ipsum Futurum, neque id vertendum est illum in modum, sed tantum explicandum. Nempe videtur haec tota loquendi ratio a talibus locis emanavisse, ubi Futurum illud problematicum exstabat, iusta ac vera conditione apposita, qualis est ἐὰν σωφρονῆτε in exemplo Xenophontis. His in locis quum futuro tempore vel *posse* vel *solere* vel *debere* significaretur, consuetudine paulatim factum est, ut Futurum ad tres istos modos indicandos adhiberetur, etiamsi conditio, quae proprie subest, vel levissima et languidissima esset, vel talis, ut ne inveniri quidem belle posset. Est vero plane eadem ratio illorum, quae post sequuntur, Ἅιδα μόνον φεῦξιν οὐκ ἐπάξεται, *unius mortis effugium invenire non potest;* hoc quoque istiusmodi Futurum problematicum est, sed quod offendat minus, quia sententia conditionalis *etiamsi volet* evidentior est. Neque alia ratio est multorum Praesentium: sunt non mera Praesentia, sed problematica tantum. Tale est, quod ante legitur, φῦλον ὀρνίθων ἀμφιβαλὼν ἄγει, h. e. proprie, *haec est homini potestas, ut, ubi libuerit, aves compellat;* sed usu haec iam sunt ita comparata, ut nemo in iis Praesenti plus noverit. Nostro loco haec una dubitatio relinquitur, quod etiam Futurum illud *domare scit* feris accommodatius fuisset, quam his familiaribus homini animalibus, equo et bovi, contra Praesens, ut usum quotidianum magis exprimens, animalibus domesticis accommodatius, quam illis, de quibus est usurpatum, feris. Hic vix crimen erga Sophoclem maiestatis subiturum me esse puto, si statuo sic, eum hoc rarius ὑπάξεται minus forsitan adhibiturum fuisse, si, in quo nemo haereret, ὑπάγεται adhibere per me-

trum licuisset. Quod quum non ita, poëta levem sibi istam immutationem permisit, sed quae, tantum abest, ut, quod solet, complementi causa temere sit intrusa, ut ipsa quoque honestum ac dignum illo locum obtineat.

§. 3.

V. 360 sqq.

νόσων δ' ἀμηχάνων φυγὰς
ξυμπέφρασται.
σοφόν τι τὸ μηχανόεν
τέχνας ὑπὲρ ἐλπίδ' ἔχων,
ποτὲ μὲν κακὸν, ἄλλοτ' ἐπ' ἐσθλὸν ἕρπει· νόμους
παρείρων χθονὸς,
θεῶν τ' ἔνορκον δίκαν, ὑψίπολις·
ἄπολις, ὅτῳ τὸ μὴ καλὸν
ξύνεστι, τόλμας χάριν.

Sic vulgo distinguitur; mire quidem, si recte. Mihi quidem, quoties hos versus legi, accidit, ut ad priores duos desiderarem ea ipsa, quae sequentibus adiuncta viderem, et rursus quae his abiudicarem, talia essent, qualia in illis desiderarem. Sunt, quae me commoverunt, hae potissimum causae. Sermo est in iis, quae adscripsi, prius de arte medendi hominum, deinde de mutabilitate morum humanorum. Videamus, utris conveniant haec, *σοφόν τι τὸ μηχανόεν τέχνας ὑπὲρ ἐλπίδ' ἔχων*: per se quidem ambigua esse possunt. In universum patet his dici: *τὸ μηχανόεν τέχνας, ὃ ἔχει* [*ὁ ἄνθρωπος*], *σοφόν τί ἐστιν ὑπὲρ ἐλπίδα.* Sed, in quo cardo rerum vertitur, *τὸ μηχανόεν τέχνας* aut proprie sumi potest *artificium mechanicum*, aut minus proprie *artis solertia.* De malis artibus ne quis praeterea cogitet, vetat, quod neque *σοφόν τι* illae praedicari possunt neque omnino singulari numero vocabuli *τέχνη* significantur. Cave autem *τέχνας* pro plurali habeas: quo quae structura exsisteret, ea nihil contortius inveniretur, sive verba *σοφόν τι τὸ μηχ.* per appositionem ad *τέχνας* collocata, sive per anacoluthon quoddam *τέχνας* illis adiunctum esse statueremus. Iam vero mechanica perspicuum est, quam sit aliena ab omni ratione loci. Restat igitur hic illorum sensus: *mirandum is*

modum excellens exercenda arte. Σοφοὶ apud Graecos erant, quicunque in arte aliqua vel opificio excellebant, a nostratibus termino technico vocati *Virtuosen*; hinc σοφὸν *insigne, praecellens.* Quaeritur, utri ista sententia magis conveniat, artine medicae hominum, an mutabilitati morum. Responsio, credo, in promtu est: quis enim neget artem cum arte maxime concordare, artem et mores contra plane esse ἑτερογενῆ. Ego saltem sic sentio, verba ista σοφόν τι τὸ μηχανόεν τέχνας ἔχων non minus bene, quam huic, quae morum mobilitatem contineat, alii cuilibet sententiae accommodari potuisse, contra, sicubi in hoc Choro ἀσυνδέτως posita illa legerentur, neminem non intellecturum esse eam esse maxime sententiam, quae artem medicam complectatur, quacum illa insignem in modum cohaereant. Quid enim, obsecro, hoc, quod modo boni modo mali sunt homines, attinet ad illud, quod ad exercendas artes ingeniosissimi sunt? Rursus quid rectius ac compositius dici potest, quam homines morborum remedia invenisse utpote arte atque solertia maxime praeditos? Itaque ut aperiam tandem, quod volo, stat mihi iungenda esse verba σοφόν τι τὸ μηχανόεν τέχνας ὑπὲρ ἐλπίδ' ἔχων cum illis, νόσων ἀμηχάνων φυγὰς ξυμπέφρασται, et post ἔχων demum plene interpungendum, ut inde a ποτὲ μὲν nova plane deinceps sententia proferatur. Nunc omnia praeclare concinunt. Nec desunt, quae sententiam nostram confirment. Ac primum quidem Sophoclem, tragicorum tam facile principem, vix arbitror in hoc maxime Choro, quo haud facile elegantiorem exhibeas, concinnitatis ac proportionis tam negligentem fuisse, ut medicinam hominum quatuor verbis absolverit, morum contra inconstantiae septem paene versus donaverit, adspersis praesertim, quae supervacanea atque inepta videantur. Cui vitio si adhibueris medelam, quam suasi, proportionis certe aliquid restitutum erit. Deinde non plane mittenda est oppositio ista vocabulorum ἀμηχάνων et μηχανόεν: quae etiamsi non ita urgeri debet, ut rem dubiam decernat, hoc tamen ostendere videtur, enunciata ea, in quibus posita sunt, vinculo quodam inter se devinciri. Habet porro iam Triclinii recensio eandem distinctionem, quam proposui; et quod idem paulo post interpolavit καὶ γὰρ ante ποτὲ μὲν κακόν, hoc, licet ipse propter

strophae responsionem ita se correxisse fateatur, testimonio tamen esse potest iam Triclinium locum ita distinctum voluisse, uti volo. Neque aliter Musgravius, bene divinans haec *σοφόν τι τὸ μηχανόεν τέχνας* cum prioribus arctissime cohaerere, modo ne post *τέχνας* substitisset, ubi progrediendum erat usque ad *ἔχων:* male enim illic interpunxit. — Habemus igitur distinctionem, cui, tam multis faventibus, obstat praeter codicum auctoritatem nihil. Atque huius rei vix dubium est, quin stropha et antistropha culpam sustineant, ita quidem, ut librariorum negligentia propter antistrophae initium novae quoque enunciationis initium factum sit, et propter strophae finem prioris quoque sententiae finis constitutus. Quamquam creberrimum est apud tragicos sententiam in stropha relictam imperfectam perfici atque absolvi in antistropha. Cf. Heath. ad Aesch. Sept. c. Th. 751 sqq.

Transeo ad sequentia, ubi consensu codd. legitur:

νόμους
παρείρων χθονὸς
θεῶν τ' ἔνορχον δίκαν, ὑψίπολις.

Codd. auctoritatem si sequimur, *παρείρων* usitata sua vi *inserendi* accipiendum est, atque apte tum Erfurdtius comparat latinum *asserere*, quod *defendere, vindicare* significat: huius enim notionis tum aliquid aspersum est. Quodsi *ὑψίπολις* de *principe* dictum esse censemus, etiam melius videtur sententia ista quadrare. Verumtamen et de principe et de inserendi vi dubito. Principis enim, vide, quam hic sit parum apta commemoratio, qui si modo nominari potuisset, sic tantum potuisset, ut princeps leges inserere diceretur, non, qui leges inserat, esse princeps. Hoc enim nec potest esse verum nec fuit verum antiquitus. Sed omnis princeps alienus est: nam opponitur illi, qui *ὑψίπολις* appellatur, *ἄπολις* h. e. *exsul;* qua oppositione efficitur prius nomen non interpretandum esse cum Passowio et Erfurdtio *princeps*, sed cum Hermanno *ὑψηλὸς ἐν τῇ πόλει, bonus, eminens civis.* At iam nec *legum inserendarum* notio satis apta est: hoc enim si verum esset, eum, qui leges inserserit, fuisse bonum civem, paucissimi, vereor, ne ex omni memoria boni civis gloriam assecuti fuerint. Itaque

hic locus huiusmodi est, ut aut ὑψίπολις *principem* significet, aut totus non sanus sit. Et profecto non sanus est, praesertim quum haec duo accedant, primum, quod ad describendum bonum hominem paene absurdum est illud παρείρειν νόμους, tum, quod non recte iungitur παρείρειν δίκαν. Certum est autem sententiam loci pro παρείρων desiderare tale quid, φυλάσσων, πληρῶν, atque sic scholia interpretantur vocem istam, etsi, qui hoc fieri potuerit, non comprehenditur, nisi cum loco nostro ipsa quoque in isto vocabulo corrupta esse consemus. Virorum doctorum coniecturae aliis iam improbatae sunt: repugnant partim metro, partim per se non sunt probabiles. Mihi persuasum est scripsisse Sophoclem πειραίνων, quae est Ionica forma pro περαίνων, h. e. *perficiens, exsequens* leges, quocum etiam scholiastarum interpretamenta congruunt, quodque recte respondet strophicis αἴθρια καὶ. Περαίνειν dicitur, quicunque rei finem aliquem, πέρας, dat, seu vere finiendo, seu faciendo, seu obtemperando, et sic porro. Hinc vocantur οἱ τὸ πέρας ἔχοντες τῶν ἁπάντων δικαίων, qui ius exercent omnibus in rebus, hoc est, summi iudices.

Exstat autem poëtica forma πειραίνειν etiam Soph. Trachin. 578, καὶ πεπείρανται τάδε. Neque enim assentior iis, qui illic πεπείρανται τάδε interpretantur *periculum feci*. Quod quum mihi omni tempore languidissimum visum est, tum etiam ad sententiam loci non tantum non aptius, sed potius ineptum est. Πεπείρανται τάδε referuntur eo, quod Deïanira vestem marito donandam sanguine Centauri tinxerat. At hac in re nihil periclitandum vel explorandum fuerat, sed postea demum, ubi vestis Herculi induenda traditur, hoc exploratur, habeatne apud maritum vim eam, quam Nessus praedixerat. Hoc loco vestem non modo non induit Hercules, sed nondum ne accepit quidem per famulum. Quare quum non sit, quod periclitata sit Deïanira, neque sermo esse potest de periclitatione. Omnino vero pugnat haec explicandi ratio cum eximia Graecorum pariterque Romanorum consuetudine, qua iis, quae enarrarunt, non stylo, sed ipsis quasi verbis punctum apponunt. Cuius tamen consuetudinis hoc proprium est, ut, quae tale quoddam punctum efficiant, ad sensum, nisi quod praecisius, accuratissime

respondeant iis, quae ante sunt enarrata latius. Ut, si huic loquendi generi nostra subiungere vellemus, dixisse poëtam haec fere necesse esset: *attendens, quae Nessus suaserat, tentavi vestem hancce immergere:* quo facto recte tum finiretur: *ac factum periculum est.* Sed nihil ante de periculo. Itaque hac quoque de causa πεπείρανται cum Schaefero et scholiasta a πειραίνειν derivandum esse existimo atque interpretandum *facta res est*, ut paulo post μεμηχάνηται τοὔργον. Quo insuper id lucramur, ut verbum medium πειρᾶσθαι non passiva perfecti vi sumere debeamus. Ac nihil video huic explicationi obsistens, nisi quod non verisimile esse putatur inveniri in tragoedia poeticam formam πειραίνειν. Longum nunc est de formis illis apud tragicos obviis disputare; sed quoniam talia: καίειν, κλαίειν, αἰετὸς, αἰεὶ, ξεῖνος, εἰλίσσειν, μοῦνος, οὔνομα, γούνατα, κεῖνος et alia innumera apud eos librorum consensu stabilita sunt, non dispicio, cur, si quae alia iis addenda esse videantur, tanta cum asperitate adversemur. Certe poëtam, cui linguae universus concedendus campus est, tali modo vix iure coërceas. In quo si sic statuo, tragicos ad arbitrium modo communes modo poeticas formas frequentavisse, nec tamen non metrum hac in re magnas partes egisse, et Elmsleii [Med. 88] opinionem supersedemus, dumtaxat metri causa poëticas esse usurpatas, et Wunderi [pr. ed. Soph. p. 92], has discrimine certo significationis a communibus differre. De hoc genere videnda sunt, quae divinitus loquitur Hermannus in praef. ad Aiacem p. XIX sqq. Dixi, cur πεπείρανται in loco Trachiniarum a πειραίνειν ducendum esse credam, quocum egregie conspirat Homericum illud Od. 12, 37, ταῦτα μὲν οὕτω πάντα πεπείρανται.

Venit modo in manus Hermanni novissima editio Antigonae, ubi, deleto toto παρείρων, ita locum Vir Cel. corrigit: ποτὲ μὲν κακὸν, ἄλλοτ᾽ ἐπ᾽ ἐσθλὸν ἕρπει νόμους τ᾽ ἐγχθονίους θεῶν τ᾽ ἔνορκον δίκαν. In quibus, quod displiceat, hoc est, quod nec satis apte nec satis concinne atque composite ea dicta esse videntur. Nam quum per se non credibile sit poëtam ita iunxisse genus cum partibus, ἐσθλὸν νόμους τ᾽ ἐγχθονίους θεῶν τ᾽ ἔνορκον δίκαν, tum etiam minus credibile

eum *bonum*, quod homini naturaliter insitum est, exemplis illustravisse, contra *malo*, quod longe rarius, ne verbum quidem addidisse: nam hic potius exemplis locus est. Deinde si ita scripsit Sophocles: ἄλλοτ᾽ ἐπ᾽ ἐσθλὸν ἕρπει νόμους τ᾽ ἐγχθ. θεῶν τ᾽ ἔν. δίκαν, ὑψίπολις, permirum est eum non ita potius orationem disposuisse: ποτὲ μὲν κακὸν, ἄπολις, ἄλλοτ᾽ ἐπ᾽ ἐσθλὸν ἕρπει —, ὑψίπολις: nunc enim uti loquitur, vide, ne valde sit incomposita oratio. Sed ne causam quidem deprehendo, cur παρείρων totum deleatur; certe quae hanc in rem affert Hermannus, hoc tantum ostendere mihi videntur, mutandum illud esse, non delendum. Scholiastae quidem articulum apposuerunt, ὁ πληρῶν, ὁ φυλάττων, quia verba νόμους παρείρων sic intellexerant, *is qui leges servat*, et Livineius lib. V. ex hac interpretatione sibi sumsit ὁ παρείρων. Itaque etiamnunc scribendum esse puto πειραίνων. Aliter sentio de metro, ex quo cognovi apud Hermannum etiam Bothio in mentem venisse, quod mihi, delere χθονός. Hoc si fit, numerus rectissime procedit ita, nec deest syllaba:

ποτὲ μὲν κακὸν, ἄλλοτ᾽ ἐπ᾽ ἐσθλὸν ἕρπει·
νόμους πειραίνων
θεῶν τ᾽ ἔνορκον δίκαν, ὑψίπολις·

Quae respondent his strophicis:

ὀργὰς ἐδιδάξατο, καὶ δυσαύλων
πάγων εὐθρία καὶ
δύσομβρα φεύγειν βέλη παντοπόρος·

Syllabas respondere syllabis in dochmiis minime necessarium est, quum vel totae diversae formae dochmiorum sibi invicem opponantur; vide Cap. VI., §. 6. Χθονὸς autem vehementer redoluisse manum librarii, nemo negabit. Superfluum est illud, quandoquidem νόμοι et θεῶν ἔνορκος δίκη natura sua opposita tantum, quantum sat est.

Restat, ut hac occasione vocabuli πειραίνειν de locutione quadam Homerica verbum faciam. Sermo est Iliad. 6, 143. 7, 402. 12, 79. 20, 429. Odyss. 22, 33. 41, de πείρασιν ὀλέθρου; quae si vulgo, inprimis a Passowio, explican-

tur *das höchste Verderben*, nihil putidius atque ineptius cogitari potest, quasi mirum quantum intersit non tantum exitium, sed *summum exitium* alicui imminere. Ac patet ex omnibus locis, ubi locutio ista obvia est, sermonem prorsus non esse nisi de nudo exitio. Videlicet *πείραθ' ὀλέθρου*, per *περίφρασιν* poeticam ita dicta, sunt *fines*, *quos mors constituit*, sive *qui morte constant*, hinc ipsa *mors*. Confirmat hoc similis dictio in Odyss. 5, 289, *μέγα πεῖρας ὀϊζύος*, ubi si haec ultima interpretaremur *summa miseria*, inanissime profecto additum esset *μέγα*; sed est ipsa *miseria*, *quae finem ponit*. Itaque rectius illa Vossius: *die Schlinge des Verderbens*, et Alexander Popius in translatione Homeri: the dark gates of death. Eiusdem generis sunt *τέλος θανάτου*, *τέλος νόστοιο* apud Homerum, *πεῖρας θανάτου* apud Pindarum, *τελευτὴ θανάτοιο* apud Hesiodum. Item *πείρατα νίκης* Iliad. 7, 102., quae non possunt cum Passowio verti *Ausgänge des Sieges*, sed sunt *eventus*, *qui constant victoria*, hinc ipsa *victoria*, ubi Anglus recte: but in the hands of God is victory; porro Homericum *ἕρκος ὀδόντων* i. e. *ὀδόντες*, qui *ἕρκος* efficiunt, quod male quidam de labris; *ἀγγέων ἕρκεα* Pind. Nem. 10, 67, quae scholiastes bene reddit *ἀγγεῖα* i. e. *utres* oleum *includentes* [*ἕρκος*]: *οἶκον πετρίνης κοίτης* Soph. Phil. 160, i. e. *πετρίνη κοίτη*, quae *οἶκον* efficit, suppeditat; etiam *τὸ Θήβης ἄστυ* Soph. Trach. 1144, i. e. *urbs*, quae *Thebas* efficit; denique *τέρμα τῆς σωτηρίας* Oed. Col. 729, i. e. *salus*, quae *finit* miserias Oedipi, consentientem hic habeo Reisigium ad v. 716, qui bene comparat Eur. Orest. 1328, *σωτηρίας γὰρ τέρμ' ἔχεις ἡμῖν μόνη*, et Virgilii *metas mortis*. Nimirum in his omnibus genitivus per appositionem quandam positus est, unde genitivus appositionis vocari possit: nam *πείραθ' ὀλέθρου* proprie est: *παίρατα*, *ὄλεθρος*. Falso huc numeratur locus Soph. Trach. 166, *ὑπεκδραμόντα τοῦ χρόνου τέλος τὸ λοιπὸν ἥδη ζῆν ἀλυπήτῳ βίῳ*. Ipsum *tempus* dici non potest *τέλος*. At quid est tandem *ὑπεκδραμεῖν τοῦ χρόνου τέλος*? Videntur hae duae locutiones permixtae esse: *ὑπεκδραμεῖν τὸν χρόνον* et *ἄνυσαι*, vel tale quid, *τοῦ χρόνου τέλος*.

§. 4.

V. 778.

Ἔρως, ὃς ἐν κτήμασι πίπτεις —

Nullus forsitan recentiore tempore a viris doctis magis tractatus et conclamatus locus est, quam hicce Antigonae, nullus vero etiam magis sine omni necessitate ac paene pueriliter, quam idem. Qui enim alias apud Graecos hodie ne observari quidem solet loquendi modus, hoc forte loco tantopere ursit interpretes, ut animo paene consternarentur. Gravissimus loci patronus Hermannus exstitit, qui in novissima editione huius fabulae [Praef. p. XXVII. et ad ipsum versum] tam praeclare de eo disseruit, ut pauca tantum amplius monenda relicta sint. Et quidem optimo iure Vir Celeberrimus non credidisse se ait quemquam adeo aut invenustum aut dicendi usus incuriosum esse, ut ad Brunckii *pecora* redeundum putaret. Sic enim plerique *κτήματα* interpretantur. Nam primum et perabsurde esset, a poëta praesertim, factum, si Amorem canens eorum, qui vi eius opprimantur, primo in loco collocavisset pecora, et vero etiam parum urbane eleganterque, si cum pecoribus virginum genas consociavisset. Talem Sophocleo ingenio insulsitatem nemo venusti studiosus imputaverit. Deinde *κτήματα* ne significant quidem unquam absolute *pecora*, sed ita tantum, ut sint omnino *divitiae*, ad quas nimirum gregum quoque possessio pertinet. Hoc est, cur interpretatio ista dicendi usus incuriosum prodat. Sed, omissis his omnibus, de bestiis hoc loco cogitari non posse inde colligitur, quod eaedem paulo post vv. 781, 782 suo quidem loco commemorantur. Itaque perperam post Brunckium inter alios Welckerus, Solgerus, Tudychum de hoc loco statuerunt, eosque male laudavit Censor in Allg. Schulzeitung, Zehnt. Heft, Oct. 1829. Propius ad veritatem accesserunt Huschkius [Anal. Crit. p. 49] et Erfurdtius [in edit. maj. Soph.], modo ne de adverso amore intellexissent, quod de universo intelligendum erat. Nihil enim simplicius est, quam abstractum pro concreto h. l. positum esse existimare et *κτήματα* interpretari *divites*. Hoc egregie confirmatur loco Propertii I, 14, 15 sqq. quem affert Huschkius:

Illa [Venus] potest magnos heroum infringere vires,
Illa etiam duris mentibus esse dolor;
Illa neque *Arabium* metuit transcendere *limen*
Nec timet *ostrino*, Tulle, subire *toro*.

Est haec aptissima loco nostro sententia. *Divites* enim et *pollentes*, qui, quaecunque sunt obvia, pecuniarum vi atque potentia opprimunt, omnium maxime notabile est amore tamen ipsos facile frangi ac superari. Amorem autem canenti quid potest aptius esse, quam id, in quo vis eius maxime conspicua est? Est illa sententia tanto magis apta propterea, quod is, qui ansam dederat huius cantiunculae, ipse dives ac pollens erat. Nam mihi quoque persuasissimum est poëtam verbis *κτήματα* et *νεάνιδος* Haemonem et Antigonam respexisse, sed, quod attendendum, ita, ut quae de illis sigillatim praedicanda erant, ad universum genus transferret. Ita non video orationi languidum quidquam inferri, quod fieri, si intelliguntur solus Haemon et Antigona, non refragor. Nec sentio cum iis, qui Sophoclem propter nomen *κτήματα* vituperandum esse putant. Quod haberet forsitan offensionem, si oppositionem intendisset poëta: at nunc non opposuit *divites* et *genas virginum*, verum iuxta posuit, sicut totum hoc carmen est *series* eorum, quae impetum Amoris superare non posse memorabile est. Quare laudaverim potius Nostrum, quod sententias huius carminis ita constituit, ut ad eos, quos totius fabulae principes introduxit, ibi quoque cogitatione primum feramur. Ad finem moneo hanc nostram explicationem, dubitanter quidem, probari a docto Francogallico Le Beau [Allg. Schulz. 1830, Achtes Heft, Numm. 94]. Coniicit idem scribendum esse *ἐν λήμασι*. Quod minime esse necessarium apparet ex iis, quae dicta sunt; sed ne praeferendum quidem est scripturae *κτήμασι*, quia hoc multo et gravius et aptius et magis universe dicitur.

Caput II.

OEDIPUS TYRANNUS.

§. 5.

V. 1181 sqq. haec leguntur verba Chori inanitatem humanae vitae cantantis:

τίς γὰρ, τίς ἀνὴρ πλέον
τᾶς εὐδαιμονίας φέρει,
ἢ τοσοῦτον ὅσον δοκεῖν
καὶ δόξαντ' ἀποκλῖναι;

Fuit, quum de hoc loco Lipsiae in Societate Graeca, quae Hermanni Clarissimi praesidio floret, disputarem. Tunc etsi sententia mea, quae eadem Musgravii est, neque Praesidi Ill., neque ei, qui adversarius mihi constitutus erat, comprobabatur, tamen illam adhuc non potui abiicere ita, ut non denuo eam in lucem protrahere conatus sim, mutato quidem, si quid tunc minus vel clare vel perite disputatum esse videretur. Nempe, correcto Musgravio, qui δοκεῖν *in gloria versari* interpretatus erat, Erfurdtius in hac voce εὐδαιμονίαν φέρειν e praecedenti versu subaudiendum esse monet, eumque alii viri docti secuti sunt vertentes: *quis hominum plus consequitur felicitatis, quam ut videatur sibi beatus esse, quumque visus est, ad calamitatem vergat.* De ὅσον pro ὥςτε et de ἀποκλῖναι neutrali sensu posito non dubium. De verbo δοκεῖν autem etiamnunc vereor, ne Musgravius rectissime interpretatus fuerit. Ac primum totam sententiam, quae Erfurdtii interpretatione efficitur, nego legitime ac recte stare posse. Aut enim ille δοκῶν εὐδαιμονίαν φέρειν, quem memoratum volunt a Sophocle, *revera felix* est, aut tota sententia perversa est. Iam si ille revera felix est, obsecro, quidni poëta solum εὐδαιμονίαν φέρειν vel tale quid posuerit, sed inanissimum illud, ne dicam ineptissimum δοκεῖν agglutinaverit? quod insuper ita est collocatum, ut

opinio multo gravior sit ipsa *felicitate:* quod enim suppletur, levius quid sit necesse est, quam quod exstat. Tanta culpa, non modo sine omni causa, sed ineptissimo plane modo vocabulum posuisse, non homini imputanda est, minime omnium Sophocli. Necesse est δοκεῖν gravi cum causa scriptum sit, alioqui non modo non bis ac primario loco adesset, sed plane abesset. Superest igitur, ut ille δοκῶν εὐδαιμονίαν φέρειν *opinione* tantum felix sit, revera non sit, ut *videatur sibi* felix esse, revera non sit. Et quidem haec sola interpretandi ratio est, quae verbis poëtae convenit si δοκεῖν vertimus *putare.* At iam hanc sententiam habemus: *homines non sunt felices, et, cum fuerint, ad calamitatem vergunt:* quam perversam esse vel potius nullam quivis videt. Nam et ἀποχλῖναι et *ad calamitatem vergere* luculenter declarant hominem, de quo id praedicetur, antea non tantum habuisse sese felicem, sed revera etiam fuisse. Neque enim felix, quamvis opinione infelix, ad felicitatem pervenire potest, qua iam gavisus sit ante, neque infelix, quamvis opinione felix, ad calamitatem inclinari, qua affectus iam pridem fuerit. Apparet sententiam istam, quam creat Erfurdtius, absurdam esse neque a Sophocle potuisse usurpari. Sed suspicor, quid sibi voluerint, qui δοκεῖν explicaverunt *putare:* voluerunt, ni fallor, a poëta dici, hanc esse omnem hominum beatitudinem, quod videantur sibi beati esse, quumque visi sint, *infelices se esse intelligant;* quamquam haec sententia et a poëtae verbis et ab illorum interpretatione penitus abhorret. — Sed ponamus adeo Sophoclem pro ἀποχλῖναι tale quid posuisse δυστυχήσαντα μαθεῖν, etsi huius totius apophthegmatis vilitas haud esset ingenio poëtae digna: Chorum in promtu est hoc loco non de certis personis temporibusve, sed, licet Oedipus eius argumenti ansam praebuisset, de re universa loqui. Quod si quis universe de genere humano loquitur, necesse est, quae loquatur, cunctis simul hominibus aeque bene conveniant. Iam vero Erfurdtium si sequimur δοκεῖν interpretantem *sibi videri,* sententia, quae hac re gignitur, minime cunctis hominibus, sed ad summum Oedipo aliquantulum congruit, qui, exstincta Sphinge rex Thebanorum factus, felicem se putans, revera, si rem urges, parricida quippe et ma-

tris maritus, infelicissimus erat. Quamquam Oedipum quoque non tantum putantem se prosperum, sed vere prosperrimum, priusquam stirps eius inventa esset, statim post ipse Chorus nobis repraesentat dicens: ὅστις [Οἰδίπους] ἐκράτησας τοῦ πάντ' εὐδαίμονος ὄλβου. Evidentius felicitas significari nequit. Iam quorsum tandem sententia ista, nisi cadit in omnes homines, sicut non cadit. An omnem felicitatem humano generi adimamus, quam esse felicitatem, non veram esse, sed putatam tantum cogitatamque contendentes? Absit hoc dictum, quod quam sit falsum inconsideratumque, perspicit quicunque non stat cum tenebrionibus, et millium hominum Graecorum exempla docent, quorum quis hodie felicitati invideat. Ridicula sunt enim, quae scholiastes ad h. l. adnotat: κατ' ἀλήθειαν τοῦτο [τὸ εὐδαίμονα εἶναι] ἀνθρώπῳ οὐκ ἔστιν· τὸ τῆς τύχης γὰρ ῥεῦμα μεταπίπτει ταχύ. Scire velim, quibusnam miseriis bonus ille magnopere laboraverit. Inde, quod fragilis est fortuna, non sequitur fortunam omnino non esse, sed tantum brevem eam esse plerumque. Ita ne illa quidem ratio admitti posset, qua poëta hoc loco diceret: *videntur sibi homines beati esse, quumque sunt visi, infelices se esse vident*, praesertim quum Oedipi non fictam tantum, sed veram antea prosperitatem sequentia demonstrant nominatim. Quare equidem luce clarius esse puto vocabulum δοκεῖν, quoquo te vertas, *putare* quidem explicari nulla causa posse, non minus autem clarum hanc unam esse sententiam, quae et hoc loco tragoediae et vero maxime Sophocle satis sit digna: *quisnam plus felicitatis adipiscitur, quam ut fructus aliquamdiu secunda fortuna* vel *gloria rursus infelix fiat.* Huic effato nil exoptatius occurrit, quam si cum Musgravio δοκεῖν interpretamur *in gloria versari.* Erfurdtii explicationi quot et quanta obsistant, dixi: quaero, quid obstet huic. Fortasse raritas significationis. At plures sunt loci, quorum iam Musgravius maximam partem usurpavit, ubi δοκεῖν eadem vi legitur, ut Eur. Hecub. 291, λόγος ἐκ τ' ἀδοξούντων ἰὼν κἀκ τῶν δοκούντων αὐτὸς οὐ ταὐτὸν σθένει. Troad. 615, ὁρῶ τὰ τῶν θεῶν, ὡς τὰ μὲν πνργοῦσ' ἄνω τὸ μηδὲν ὄντα, τὰ δὲ δοκοῦντ' ἀπώλεσαν. Heracl. 890, τερπνὸν δέ τι καὶ φίλων ἄρ' εὐτυχίαν ἰδέσθαι τῶν πάρος οὐ

δοκούντων, qui praecipue memorabilis locus est propter opposita ista, quae insignivi. Hinc δόξα, δόκησις *gloria*, et ἀδοξεῖν *gloria carere*. An obstat, quod sermo non est de felicitate, verum de gloria? At δοκεῖν et εὐτυχεῖν, quod posterius hic facilius forsan ad intelligendum fuisset, quum iam per se prope ad idem redeant, tum iure potuit Sophocles h. l. δοκεῖν pro εὐτυχεῖν strictiore sensu dicere, quoniam Oedipi, cuius inprimis exemplum ante oculos habebat, omnis fere fortuna rebus fortiter ac gloriose gestis continebatur, et quod omnino apud veteres ad felicitatem plurimum faciebat splendor ac gloria. Quin gloriam ac felicitatem a Graecis saepe confusas esse argumento est locus Heraclidarum, quem ante attuli. Similiter et Pindarus creberrime et Noster in Electra v. 638 πλοῦτον posuit pro generali notione ὄλβου, et Homerus pluries consociat ὄλβῳ τε πλούτῳ τε. Quid autem? nonne est summae *gloriae* felicem esse? Iam vero accedit ad commendandam interpretationem nostram hoc gravissimum, quod paene solum rem conficit, quod paulo post Chorus universum de mutabilitate morum sententiam exemplo Oedipi illustrans multa profert, quae ad gloriae potissimum ac verae felicitatis notionem referantur; quae sunt:

κατὰ μὲν φθίσας
τὰν γαμψώνυχα παρθένον
— — — —; θανάτων δ' ἐμᾷ
χώρᾳ πύργος ἀνέστας·
— — — βασιλεὺς καλεῖ
ἐμὸς καὶ τὰ μέγιστ' ἐτι-
μάθης, — — — — — ἐν
Θήβαισιν ἀνάσσων.

Est autem horum versuum ea ratio, ut scholion quodammodo sint universae illius sententiae τοσοῦτον ὅσον δοκεῖν; item sequentia verba τανῦν δ' ἀκούειν τίς ἀθλιώτερος referuntur quodammodo ad supra dictum δόξαντ' ἀποκλῖναι. Quod si verum est, sponte intelligitur in superioribus quoque non tantum de opinione felicitatis, sed de vera felicitate sermonem esse. Felicissimus enim fuerat Oedipus, antequam patris parricidam et maritum matris se esse explorayerat.

Ita Sophocles vitae humanae inanitatem Chorum canentem faciens atque in fortunae maxime fragilitate, ut centies alias, illam ponens ita loquitur: *Vae genera mortalium, quam vos viventia aeque ac nihil aestimo. Nam quis, quis hominum plus felicitatis consequitur, quam ut gloria fortunisque floreat, quumque floruerit, ad calamitatem rursus demergat?* h. e. haec est omnis hominum beatitudo, quod usi aliquamdiu fortuna secunda calamitate rursus afficiuntur, neque diutius in statu felici manent. Id Plinius expressit: *nulla profecto solida felicitas est*, et Cicero: *qui* [homo] — *poterit — fortunae stabilitate confidere?*

§. 6.

Statim post v. 1186 sqq. Chorus communi suo de genere humano iudicio exemplum Oedipi subiungens ita pergit:

τὸ σόν τοι παράδειγμ᾽ ἔχων,
τὸν σὸν δαίμονα, τὸν σόν, ὦ
τλᾶμον Οἰδιπόδα, βροτῶν
οὐδένα μακαρίζω,
ὅστις καθ᾽ ὑπερβολὰν
τοξεύσας ἐκράτησας τοῦ
πάντ᾽ εὐδαίμονος ὄλβου,
ὦ Ζεῦ, κατὰ μὲν φθίσας
τὰν γαμψώνυχα παρθένον —

Haec est librorum scriptura; quae, quaestio est, utrum servetur, an ad emendationem fugiendum sit. Dicitur enim ἐκράτησας pugnare cum metro, quia glyconei in iambum desinere soleant, vel certe, ubi in spondeum desinant, etiam is versus, qui in antistropha ei respondeat, spondeo terminetur; quod utrumque hic secus est. Metrica ista doctrina si vera, nihil profecto melius est emendatione Hermanni ἐκράτησε τοῦ; et accidere sane potuerat, ut sive propter praecedens ας in τοξεύσας, sive quod antea et postea de Oedipo secunda persona sermo est, scriptura Sophoclis ἐκράτησε a librariis de metro securis in ἐκράτησας immutaretur. Neque alteram Viri Cl. coniecturam ἐκράτησας εἰς praeferendam dixerim, tum quia difficilior est priore et ad sensum minus aptior, tum propter articu-

lum τοῦ huic loco accommodatissimum ad significandam *illam* maximam ac celeberrimam Oedipi famam, qui aliunde hospes veniens exstincta Sphinge rex Thebanorum factus esset. Reisigius quam loci sententiam esse voluerit corrigens ἐκράτησας οὐ, neque ego dispicio, neque omnino quisquam dispiciet. Acquiescamus igitur in ἐκράτησε τοῦ. At nunc difficultates nascuntur, quae aut tollendae sunt, aut falsa scriptura est. Nam primum: ὅστις ἐκράτησε aut ad δαίμονα referendum est, aut ad Oedipum ipsum. Et quidem prius illud si facimus, ut fecit Hermannus, vertens: *quae sors nimium prospero nisu summae potita est felicitatis; o Iupiter, occisa rapaci virgine, caedibusque te obiecisti patriae meae tutamen:* vix ac ne vix quidem mihi persuadeo sortem dici posse καθ' ὑπερβολὰν τοξεύσαντα κρατῆσαι ὄλβου. Nam quis est tandem, obsecro, ille *nisus* fortis, et quo constat? omnino qui fieri potest, ut *nisus* humanae sorti tribuatur? Itidem quis audivit unquam sortem *potitam* vel *fructam esse felicitate?* Potius sors ipsa est, quae felicitatem aut calamitatem impertiat. Nonne in his mirandum in modum sorti tributum esset, quod nonnisi hominis esse potest? Porro verba κατὰ μὲν φθίσας τὰν παρθένον arctissime cohaerent cum illis, ὅστις — ἐκράτησεν ὄλβου, ita ut, quod ἐκράτησε habet subiectum, idem habeat φθίσας necesse sit. Iam vero sorsne Sphingem trucidavit? et sorsne hac trucidata summa potita est felicitate. Denique si etiam consentaneum esset Chorum, quum vitae inanitate descripta exemplum Oedipi proponat, sortem eius potius agentem ea, quae ab illo agebantur, fecisse, tamen intolerabilis maneret iste ab Oedipo ad sortem et ab hac rursus ad illum transitus. Hac igitur singulari imagine, qua, quae sunt Oedipi, sors eius perficit, nondum adducor, ut Sophoclem usum fuisse credam. Tentemus alteram viam, qua ὅστις refertur ad ipsum Oedipum. At nunc efficitur mutatio personarum, quam qui olim sustinere potuerim, non comprehendo. Est enim, ut hodie sentio, tam inaudita et insolens, ut insolentiorem vix invenias. Obsecro, qualis continuatio: ὦ τλᾶμον Οἰδιπόδα — ὅστις ἐκράτησε τοῦ πάντ' εὐδ. ὄλβου — θανάτων δὲ πύργος ἀνέστας. Habet ea res tanto maiorem molestiam, quod hic locus ὅστις ἐκράτησε per totum

Chorum solus est, ubi poëta de Oedipo tertia persona loquitur, quum eum praeterea usquequaque secunda persona appellet. Videmus igitur hanc alteram viam non minus periculosam esse, quam priorem. Atque aliter ἐκράτησε explicari nequit. Cave enim Erfurdtium audias, qui sic iubet construi: μακαρίζω οὐδένα, ὅστις — ἐκράτησε: quod quantam toti loco perversitatem inferret, quilibet intelligit. Iam si perpendimus, quas turbas totum illud ἐκράτησε excitet, quod sensui illigari nullo pacto potest, quam minuta sit autem causa, cur sic scribatur pro vulgato ἐκράτησας, quod ipsum sensu egregie accommodatum est, necessario incidimus hanc in summam, syllabae quantitatem minime dignam esse, propter quam tam bona lectio immutetur in talem, quae sensui omnibus modis obsistit, et metri, cuius omnino ratio parum est adhuc ad liquidum perducta, offensiunculam mittendam esse potius, quam propter eam negligendum sensum. Dico haec ex Hermanni sententia, qui ipse in Elem. doctr. metr. p. 527, 10, de extremo pede glyconeorum disputans, locos, ubi spondeus iambo oppositus sit, non temere pro corruptis habendos esse demonstrat. Glyconeos spondeo terminatos agnoscit Hermannus in Epit. Elem. doctr. metr. §. 464. et defendi posse ait ad Philoct. 1136. Equidem hac in re plane cum Seidlero facio, qui ad Eur. Electr. 122 rectissime iudicat omnes locos, ubi, etiam iambo opposito, in spondeum exeant glyconei, intactos relinquendos esse, donec glyconeorum versuum ratio accuratius explicata futura sit. Exempla idem V. D. enumeravit, eaque tam multa sunt et tam certa, ut, quamdiu non certiores facti erimus de universa re metrica, usus ille in dubitationem vocari non possit. Nihil enim in re incerta plus facit ad decernendam rem numero exemplorum, sicut omnino in antiquarum literarum doctrina maximum est experientia. — Servemus igitur bonam scripturam codicum: habebimus in divino Choro locum non modo nihil turbantem divinitatem illam, sed ipsum quoque non paulum ad eam conferentem. Quod, credo, maius est, quam si in syllaba haeremus, in qua non esse, cur haereamus, exempla vincunt.

§. 7.

Finem tragoediae hunc fecit Sophocles:

ὦ πάτραι Θήβης ἔνοικοι, λεύσσετ', Οἰδίπους ὅδε,
ὃς τὰ κλεινὰ αἰνίγματ' ἤδη καὶ κράτιστος ἦν ἀνήρ,
ὅστις οὐ ζήλῳ πολιτῶν καὶ τύχαις ἐπιβλέπων,
εἰς ὅσον πλύδωνα δεινῆς ξυμφορᾶς ἐλήλυθεν.
ὥστε θνητὸν ὄντ' ἐκείνην τὴν τελευταίαν ἰδεῖν
ἡμέραν ἐπισκοποῦντα μηδέν' ὀλβίζειν, πρὶν ἂν
τέρμα τοῦ βίου περάσῃ μηδὲν ἀλγεινὰν παθών.

Dixi de hoc loco iam supra §. 1.; tamen iam sunt addenda pauca. Accidit enim ipsi quoque, ut criticorum acerrimos impetus experiretur. Quod eo vehementius semper miratus sum, quo magis id a plerisque sine causa esse factum confido, et eo molestius semper tuli, quod hio ipse poëtae nostri locus, quotiescunque eum legerim, pulcherrimus mihi visus est. Credo autem minus pulchrum eum visurum fuisse, si minus sanus; et minus sanum, si minus pulcher visus esset. Sunt, quae in eo notata ac reprehensa sunt; haec potissimum. Primum Boivinus quidam, Gallus, omnium celerrime sese expediens totum, dico totum hunc locum spurium esse iudicat neque a Sophocle profectum. Ab hoc non longe recedens Heathius maximam quidem partem huius epilogi genuinam esse censet, tamen primos duo versus ex Euripidis Phoenissarum fine suppletos esse, et post tertium excidisse versum, quia ἀσύνδετος et ἀσύστατος sit oratio. Idem narrat nec Camerarium sensisse aliter. Quibus adstipulans etiam Erfurdtius post versum tertium intercidisse unum putat. De eodem tertio nihil, quod satisfaciat, interpretes habere queritur Elmsleius. Itaque Musgravius coniecit, ὃς τίς οὐ ζήλῳ πολιτῶν τῆς τύχης ἐπέβλεπεν; Reisigius ὅσσος pro ὅστις; Seagerus ὃν τίς οὐ ζήλου πολιτῶν ταῖς τύχαις ἐπιβλέπων; Hermannus ὃν τίς οὐ ζηλῶν πολιτῶν, et Vir doctus in Ephem. liter. Lips. εἴ τις pro ὅστις.

Ac Boivini quidem, operae pretium est, argumenta pertractare, quibus ad excludendum totum hunc locum usus est. Nihil levius primo, primos duo versiculos totidem paene verbis in Euripidis Phoenissis legi v. 1758,

ὦ πάτρας κλεινῆς πολῖται, λεύσσετ', Οἰδίπους ὅδε,
ὃς τὰ κλεῖν' αἰνίγματ' ἔγνω καὶ μέγιστος ἦν ἀνὴρ —;

Quae si etiam Sophocleis ad amussim aequiparentur, tamen hac re nihil comproberetur, nisi utrumque poëtam in simili materia laborantes etiam in sententiam similem incidisse, quia materiae ratio atque natura eam tulit, et in similia verba, quia haec potissimum sententiae isti accommodata erant. Sed demus Boivino probari illis posse, quod minime potest, ex Euripide transscripta esse Sophoclea: quasi vero diversos homines etiam diversa utique cogitare necesse esset, et quoties quid bis pluriesve sit cogitatum, semper ab uno reliquos omnes furatos esse. Est hoc ex more eorum hominum, qui in quovis vel scriptore vel poëta plagiarium deprehendentes, quaecunque apud Graecos Latinosque similia exstant, surrepta esse concionantur atque ab uno tantum omnia manavisse: quo more nihil miserius ac fastidiosius cogitari potest, et qua de re si Philostratum et Clementem Alexandrinos totos libros consuisse perpendo, istorum hominum humanam mentem satis admirari non possum. Vide, quae de hoc loco non sine solito sale loquitur Lessingius noster in Vita Sophoclis, Oper. Tom. X p. 139 sqq. Redeo ad Boivinum: quo si confisi aut apud Sophoclem aut, uti temere fecerunt Brunckius et Valckenarius, apud Euripidem versiculos illos duo demimus, habemus apud utrumque plane abrupta et manca reliqua, ita ut aut demi ne queant quidem illi, aut alteruter pessimus poëta sit. Quid plura? satis est significasse primo illo argumento hoc tantum effici, Sophoclem et Euripidem simili forte sententiae conformatione usum esse. Atque in hanc utrumque incidisse eo minus mirandum est, quod utriusque tragoediae fini longe aptissimum erat spectatores contestari, quam Oedipus ille ex felicissimo infelicissimus factus sit.

Par huic primo, quin etiam miserabilius alterum Boivini argumentum est, ultimos tres versus huius loci ex Euripidis Andromacha consarcinatos esse videri. Nempe leguntur ibi v. 100 sqq.

χρὴ δ' οὔποτ' εἰπεῖν οὐδέν' ὄλβιον βροτῶν

πρὶν ἂν θανόντος τὴν τελευταίαν ἴδῃς
ὅπως περάσας ἡμέραν ἥξει κάτω.

Scilicet eadem fere sententia hoc Sophoclis in loco exstat; quod est suspectum. O incredibilem vim argumenti! quasi Schillerus noster non canere potuerit:

Eilende Wolken, Segler der Lüfte,
Grüsset mir freundlich mein Jugendland,

quia iam Sophocles in Aiace v. 832 sqq. simili imagine usus est:

σὺ δ', ὦ τὸν αἰπὺν οὐρανὸν διφρηλατῶν,
Ἥλιε, πατρῴαν τὴν ἐμὴν ὅταν χθόνα
ἴδῃς, ἐπισχὼν χρυσόνωτον ἡνίαν,
ἄγγελον ἄτας τὰς ἐμὰς μόρον τ' ἐμὸν
γέροντι πατρὶ τῇ τε δυστήνῳ τροφῷ,

et quasi Sophocles, qui tot mille divina sine satellite cecinit, non sine Euripide canere potuerit, neminem ante mortem beatum esse. Iam vero hanc ipsam sententiam praeter Solonem, qui primus fuit, quinque alii, quantum scio, poëtae veteres pronunciaverunt: scilicet hi omnes Soloni eam furati sunt, et Solo ipse, credo, per daemonii alicuius afflatum eam accepit — en quam exoptatum mysticis, qui hodie vocantur. Sed de his nugis modo iam dictum est. Hoc quivis perspicit, nulla re unquam magis illud de hominum beatitudine dictum repraesentatum esse, quam Oedipi regis fortuna, et poëtam, qui hujus fabulam tractet, non posse non maxime eo incidere et inclinare, sive Euripides eam iam usurpaverit, sive non.

Non gravioris momenti tertium argumentum est, in eo situm, quod versus tertius ac quartus tam male inter se cohaereant, ut nulla idonea constructio ex iis elici possit. Quod argumentum levius est, quam ut *petitio principii* nominetur, quam dicunt philosophi. Nam inde quod Boivinum loci structura fugit, plane nihil colligitur. Et si compertum esset versus istos omni continuatione vacare, tamen nihil amplius efficeretur, nisi aliquidpiam depravatum esse. Nexus est optimus atque facillimus; tantum in quinto versu leve videtur vitium latere: quod mox dicetur.

Restat argumentum ultimum; quod doleo, ceteris pessi-

mis, pessimum omnium esse. Nam constat eo, quod ultimi poëtae versus sententiam contineant tritam ac trivialem, quaeque aliis tragoediis plurimis aeque convenire possit. Hic appello hominem: homo enim qui hanc sententiam trivialem vocare possit, non comprehendo. Nec scitum est, quod dicit Heathius, Sophoclis forte temporibus illam non adeo tritam trivialemque visam esse, ac nobis, postquam in proverbium paene evaserit, iure meritoque videatur. Cui videtur tandem ita, exceptis Heathio ac Boivino? Poëta quisque carmini suo universales veras sententias intexens nihil curat, utrum hae alio quoque in loco atque ab alio poëta iam usurpatae sint, modo ipsius materiae ita conveniant, ut suo quaeque loco prolatae sint. Quodsi in eandem sententiam plures simul poëtae et unus idemque poëta pluries incidit, culpam non fert poëta, sed una ex parte natura materiae, ex altera sententiae summa veritas. Vera autem et trita si quis confundit, quoniam vera diffundi ac circumferri solent, huic, vereor, ne omnis veritas tritissima sit appellanda: veritas enim satis disseminari non potest. Sed anile propemodum est, quod addit Boivinus, hanc poëtae sententiam plurimis aliis tragoediis aeque convenire posse. Hoc sponte refellitur eo, quod in Sophoclis Oedipo Rege *est;* praeterea ubi *esse possit*, Boivinus videat.

Apparet omnia argumenta doctissimi Galli pariter ac nulla esse, neque praeclarum hunc Sophoclis epilogum iis ullo modo labefactari. Totus praecipue ne sit adulterinus, totus obstat. Nam demto hoc Chori epilogo haberemus exitum fabulae prorsus intolerabilem et in quo nemo non apertam lacunam cognosceret, vel potius, ut cum Hermanno loquar, fine fabula prorsus careret. Videntur autem Francogalli peculiares quasdam simultates cum poëta nostro et vero maxime cum hac eius tragoedia exercuisse. Relicto enim illo Boivin, et quodam Rapin, Vautier, Valincour, constat, quam mire iniquum atque acerbum de illa iudicium promulgaverit Voltaire [Oeuvr. T. I]. Qui, solatium est, vix numen esse, quod non satyra sua perstrinxerit. Vide Henr. Blümneri disput. de Oed. Tyr. Sophoclis, Lips. 1788, 4, §. XII. Boivinum autem eo magis mirandum est ita se durum erga hunc locum Oedipi Tyranni

praebuisse, quo acrius idem huius fabulae contra Voltarium patrocinium suscepit in praef. ad versionem Oedipi gallicam.

Venimus ad Heathii de loco sententiam; quae ubi Boiviniam aequat, pauca tantum monenda restant, quia illa iam satis tractata est. Primos duos versus ex Euripidis Phoenissis suppletos putare, id quod Heathius quoque putat, iam demonstravi, quam sit inane ac temerarium, quasi poëtae duo in similis argumenti tractatione non similes sententias conformare potuerint, quas praesertim res ipsa inculcat. Cui nunc addo ambobus tamen locis, diversis plerisque verbis, etiam sententiarum rationes magis inter se discrepare, quam ut altera ab altera mutua sumta esse possit. Apud Sophoclem *Chorus* cantat: *o Thebani, videte, quantam in calamitatem Oedipus hicce immersus sit, qui fuit sapientissimus, fortissimus, iustissimus;* apud Euripidem ipse *Oedipus* exclamat: *o patriae cives, videte, ego ille Oedipus, qui summus fui et solus Sphingem oppressi, ipse nunc patriae exsul sum.* Et quidem in Euripidis loco, commate posito post ἦν ἀνὴρ, iungendum est: Οἰδίπους ὅδε — νῦν ἐξελαύνομαι. Quem facillimum nexum si vidisset Valckenarius, non Boivinio more loco nomen transcripti imposuisset. Personae mutatio non magis offendit propter comma, quam propter colon: nisi mavis lenissima medela ἔγνων scribere, quod iam Porsonus suasit. Porro Heathius, cum eoque Camerarius et Erfurdtius, versum existimat hoc nostro loco post tertium excidisse. Quod idem sine causa factum est. Nititur enim ista sententia eo, quod e versu tertio et quarto commodum sensum elici posse negant. Quem si adesse optimum posthac ostendero, et sententia ista conciderit, et Elmsleii querelis satisfactum erit.

Ac de sensu atque structura totius loci quae sentio, haec sunt. Miror plerosque editores in hanc implicitam construendi rationem delapsos esse: ὅστις — ἐπιβλέπων εἰς ὅσον κλύδωνα ἐλήλυθεν, ut sit pro: ὅστις — ἐπιβλέπων εἰς τόσον κλύδωνα ἐλήλυθεν. Recte vidit Valckenarius ad Phoenissarum l. c. nexum hunc esse: λεύσσετ', εἰς ὅσον κλύδωνα ξυμφορᾶς Οἰδίπους ὅδε ἐλήλυθεν, ὅστις —. Participium ἐπιβλέπων neminem debet offendere: nihil facilius est, quam e priore versu supplere

ἦν, et ἐπιβλέποντα εἶναι suo hic loco esse pro ἐπιβλέπειν supra §. 1 commemoravi. Iam duo priores versus clari sunt; in tertio autem dubitari solet, quid sit οὐ ζήλῳ πολιτῶν καὶ τύχαις ἐπιβλέπων. Poëta quid in universum dixerit, egregie et divinavit et explicavit Corayus in observ. ad versionem gallicam Characterum Theophrasti p. 261 sqq., cuius de versu hoc verba in utraque editione Erfurdtii exscripta sunt. Nempe poëta, quo maiorem Oedipi infortunium misericordiam excitet, tres eius potissimum regias virtutes enumerat, sapientiam [αἰνίγματ' ᾔδη], fortitudinem [κράτιστος ἦν] et iustitiam probitatemque [οὐ τύχαις πολιτῶν ἐπιβλέπων]. Quaeritur, quo pacto *iustitia* designari possit his, οὐ ζήλῳ πολ. καὶ τύχ. ἐπιβλέπων. Hic adi, quae Corayus l. c. de boni regis atque tyranni apud Graecos notione perite disserit. Fortasse Sophocles his ipsis verbis tyrannos quosdam illius temporis tangere voluit, qui civium humilitate suam potentiam stabilibant. Idem V. D. recte monet ἐπιβλέπειν, ut ἐποφθαλμιεῖν et Latinum *invidere*, significare hic φθονεῖν; hoc unum minus recte, ζήλῳ καὶ τύχαις dictum esse pro ζηλωταῖς τύχαις, *invidendis fortunis*, quod fieri nequit. Librorum scriptura si vera est, ζῆλος passiva vi *opulentiae, prosperitatis, quibus* fere *invident* homines, accipiendum est. Quamquam perrara haec significatio est, neque infitior me, si poëta scripsisset οὐ ζήλῳ πολιτῶν ταῖς τύχαις ἐπιβλέπων, ut ζήλῳ ἐπιβλέπειν sit *cum invidia intueri*, vehementer id amplexurum esse. Etiam Corayus ζῆλος hac significatione sumsit, et proxime huic coniecturae accederet Musgravii et Seageri. Quum tamen ζῆλος passiva vi legatur in Nostri Aiace v. 498, οἵας λατρείας ἀνθ' ὅσου ζήλου τρέφει [Τέκμησσα], satius duco retinere vulgatam hoc sensu: *qui civium opulentiae atque fortunis non invidebat.* Praeterea non erat, cur variatio ista relativorum ὅς et ὅστις interpretes aliquot sollicitaret: libuit enim poetae priore loco dicere *welcher*, altero magis universe *einer*, *welcher*, tanquam si rari sint istiusmodi boni reges. — Hoc modo si explicatur versus tertius, sicut explicandus est, omnibus illis, quas supra enumeravi, ex parte parum felicibus coniecturis liberamur. — Supersunt tres ultimi versus. Quorum item sententia quidem universa plana

est; at singularem in modum usurpatum est illud ἰδεῖν ἐπισχοποῦντα, quod si cum Heathio sic intelligimus: *exspectantem videre*, sive, *dum videat*, scire velim, cur Sophocles orationis princeps ille pro solo *exspectantem mortem* tam rustice posuisset *exspectantem videre mortem*. Accedit quod ad ὀλβίζειν in omnes partes δεῖ mente substituendum est, id quod non minus est novum atque insolitum, et cuius generis exemplum non memini. Hic igitur locus suspectior est, quam ut pro sano haberi possit. Rectam viam aperuit Stanleius ad Aesch. Sept. c. Theb. 778, ἔδει coniiciendo pro ἰδεῖν; modo ne imperfectum elegisset, quod ab hac universa sententia alienum est. Certissime Sophocles scripsit τελευταίαν γε δεῖν. In τελευταίαν emphasis est: nam una *suprema* dies discrimen facit, beatane vita alicuius fuerit, necne; quare γε opportunissime additur. Ἰδεῖν autem veri non est absimile librarium aliquem a simillimo loco Euripidis inductum huc transtulisse. Totius loci sensus nunc hic est: *o cives Thebarum, videte, quantum in saevae calamitatis fluctum Oedipus hicce inciderit, qui clara illa aenigmata solvebat, qui vir erat fortissimus, qui opulentiae civium atque fortunis non invidebat. Quare mortalis diem supremam exspectans neminem debet beatum ante dicere, quam vitam finierit, nihil perpessus mali.*

Caput III.

A I A X.

§. 8.

V. 172 sqq. Chorus ad Aiacem, cuius nocturnum in pecora furorem compertum habebat, sic loquitur:

ἦ ῥά σε Ταυροπόλα Διὸς Ἄρτεμις
— ὦ μεγάλα φάτις, ὦ
μᾶτερ αἰσχύνας ἐμᾶς —
ὥρμασε πανδάμους ἐπὶ βοῦς ἀγελαίας,
ἦ πού τινος νίκας ἀκάρπωτον χάριν,
ἦ ῥα κλυτῶν ἐνάρων
ψευσθεῖσα δώροις, εἴτ' ἐλαφηβολίαις·
ἢ χαλκοθώρηξ εἴ τιν' Ἐνάλιος
μομφὰν ἔχων ξυνοῦ δορὸς ἐννυχίοις
μαχαναῖς ἐτίσατο λώβαν.

Hunc locum mirifice laceratum a viris doctis sic distinguo. Excipiunt se haec universa: ἦ ῥά σε Ταυροπ. Διὸς Ἄρτεμις ὥρμασε πανδάμους ἐπὶ βοῦς, ἢ χαλκοθώρηξ Ἐνάλιος ἐτίσατο λώβαν: *profecto te aut Diana in furorem istum coniecit, aut Mars.* **Cur *Dianam* illud fecisse putet, Chorus hanc causam subiungit:** ἦ πού τινος νίκας ἀκάρπωτον χάριν: *certo propter victoriam, cuius ei gratias non persolvisti.* **Rursus quas gratias intelligat, ostendit his:** ἦ ῥα ἐνάρων ψευσθεῖσα δώροις, εἴτ' ἐλαφηβολίαις: *seu spoliis non dedicatis* [cf. v. 93], *seu intermissa venatione.* **Cur *Martem* illud fecisse putet, Chorus nihil subiungit, quia causa, quam esse putat, mediae iam orationi immixta est:** εἴ τινα μομφὰν ἔχων ξυνοῦ δορός. **Sic omnia belle ac recte cohaerent.** Ἦ που **v. 5, i. e.** *certo*, **scripsi, quia id nihil est nisi repetitum illud prius** ἦ ῥα, **neque respondet ei quidquam, quo disiunctivum fieri possit.** Ἦ ῥα **v. 6, quod in altero membro iustam offensionem haberet,**

iam non habet: exstat enim in priore membro disiunctionis, prorsus ut apud Homerum Il. 21, 62, ἦ ἄρ᾽ ὁμῶς καὶ κεῖθεν ἐλεύσεται, ἤ μιν ἐρύξει γῆ φυσίζοος. Ψευσθεῖσα δώροις εἴτ᾽ ἐλαφηβολίαις explicandum est, sicut iam alii fecere: *eo falsa, quod ei neque spolia consecravisti, neque venationes instituisti.* Absit enim Heathii iocularis vere interpretatio: *aut propter cervos quosdam, quos non oportuit, venatione occisos.* Non rara est apud poëtas loquendi consuetudo, qua vocabulo aliquo non ipsam rem, sed rei defectum indicant; cuius exempla adsunt in Matth. gr. gr. mai. §. 634, 3, *Anm.* p. 1308. Plenius hoc dicitur in Nostri Trach. 94, ὃν [Ἅλιον] αἰόλα νὺξ ἐναριζομένα τίκτει. Porro dativus δώροις positus est ad designandum id, *quo* efficitur, ut Diana decepta sit, quum genitivus designaret id, *in quo* decepta est. Ἐνάρων δῶρα, h. e. *dona, quae spoliis constant*, ad idem loquendi genus pertinent, de quo iam §. 3 fin. disputavi. De νίκας ἀκάρπωτον χάριν vid. Matth. ad Eur. Iph. Taur. 552 et ad Hecub. 608. In versu 8 Elmsleius optime pro ἤ τιν᾽ correxit εἴ τιν᾽, quod receptum Hermannus rectissime explicavit. Sed hoc non dubium esse puto, quin et hic et sequens versus de *Marte* intelligendi sint, *qui de Troianis sociis ab Aiace pulsis querelam habeat.* Neutiquam Chorus de auxilio cogitat, quod Aiaci Mars tulerit, et cuius ille gratias non egerit, etiamsi id ipso a Choro dubitanter censemus pronunciari: εἴ τινα μομφὰν ἔχων ξυνοῦ δορός. Nam primum constat, quam Mars non modo non socius, sed hostis semper Aiaci fuerit, id quod etiam nautis Salaminiis, e quibus constabat Chorus, tam notum fuisse necesse est, ut de hac re ne verbo quidem cogitarent. Deinde poëta non scripsit εἴ τινος ξυνοῦ δορὸς μομφὰν ἔχων, sed εἴ τινα μομφὰν ἔχων ξυνοῦ δορὸς, qua re efficitur dubitativum illud εἴ τινα nihil prorsus pertinere ad ξυνοῦ δορὸς, verum arctissime cohaerere cum μομφὰν ἔχων. Conficit rem, quod Mars λώβαν τίσασθαι putatur. Λώβη autem ista apertissime refertur eo, quod Troiani, Marte deo iuvante, etiamnunc fugati erant. Contra Aiacem ingratum erga Martem fuisse vix dici potest λώβη.

§. 9.

V. 399 sqq. Aiax sic lamentatur:

ποῖ μολὼν μενῶ;
εἰ τὰ μὲν φθίνει, φίλοι,
τοῖσδ' ὁμοῦ πέλας,
μωραῖς δ' ἄγραις προσκείμεθα —

Non assentior Hermanno scribenti τοιοῖσδε pro vulgato τοῖσδε vertentique: *si illa talibus, qualia hic cernitis, pereunt.* Fateor mihi haec parum explicate et enucleate expressa esse videri. Et quae sunt tandem ista *talia, qualia cernit Chorus?* furor Aiacis? aliud enim cogitari nequit. At vehementer mirarer, si poëta furorem istum sic expressisset: *talia, qualia hic cernitis,* praesertim quum Aiax iam rursus ad sanam mentem reductus esset. An omnia illa, quae e furore isto manaverant? At quis unquam Graecus haec ὁμοῦ πέλας εἶναι dixisset? Et sic locutum esse credamus Sophoclem? Nihil mutandum est. Aperte repetitur hoc loco, quod Aiax v. 365 sqq. dixerat: ὦ δύσμορος ὃς χερσὶ μὲν μεθῆκα τοὺς ἀλάστορας, ἐν δ' ξλίκεσσι βουσὶ καὶ κλυτοῖς πεσὼν αἰπολίοις ἐρεμνὸν αἷμ' ἔδευσα. Hoc modo τὰ μὲν sunt, uti Hermannus quoque sentit, Aiacis ulciscendi cupiditas, qua modo ante exclamaverat: πῶς ἂν τὸν αἱμυλώτατον, ἐχθρὸν ἄλημα, τούς τε δισσάρχας ᾽Ατρέσσας βασιλεῖς τέλος θάνοιμι καὐτός, et quae ex veterum sententia tam honorifica erat, ut eam satiatam non esse vel amicorum nomine queratur [εἰ τὰ μὲν φθίνει, φίλοι]: vid. Lessingii Laocoont. p. 43. Τοῖσδε autem intelligo cum Brunckio, τοῖς βοσκήμασι: haec enim vesani Aiacis manum ab Ulisse et Atridis in se avertebant et recte dicuntur ὁμοῦ πέλας fuisse. Probatur haec explicatio illa ipsa voce ὁμοῦ, qua haud dubie indicatur *eodem tempore*, quo Atridas interficere voluerit Aiax, pecora affuisse. De omisso οὖσι ad τοῖσδε vide Hermannum. Sensus nunc est: *ubi quiescam, si illa perduntur his una vicinis et poenas insanas exerceo?* h. e. si vindicta mea ad nihil recidit eo, quod in pecoribus insanus poenas exerceo. Sed Aiax ipsam praesentiam pecorum tanquam causam proponit, cur consilium suum perfractum sit.

§. 10.

V. 711 sq. Sermo est de Teucro:

εἶτ' ὀνείδεσιν
ἤρασσον ἔνθεν κἄνθεν οὔτις ἔσθ' ὃς οὔ —

Quinque codd., sicut edit. Turn. Cant. Steph. κοὔτις, tres codd. καὶ οὔτις. Non dubium, quin Erfurdtius et Hermannus recte cum Aldina scripserint οὔτις, atque κοὔτις ab ignaris librariis profectum sit. Usurpatur enim illud οὔτις ἔσθ' ὃς οὔ a Graecis tamquam unum adiectivum, significans fere nostrum *alle ohne Ausnahme*, ita ut copula agglutinari plane non possit. Eadem de causa falso apud Erfurdtium interpunctum est ante οὔτις. Et quidem usus tulit in hac locutione, ut verbum ἐστὶ vel ἦν plerumque omitteretur; etsi nec desunt loci, ubi illa omnibus suis partibus expleta est, ut Xen. Cyr. VII, 5, 61, οὐδεὶς γὰρ ἦν, ὅστις οὐκ ἂν ἀξιώσειεν. Fuit enim origine sua sic comparata; sed usu paulatim ita concrevit, ut uno pro adiectivo agnosceretur. Similis ratio est locutionum ἔστιν οἳ, θαυμαστὰ ὅσα, porro horum: θαυμαστῶς ὡς, ἔστιν ἵνα, ἔστιν ὅπου, ἔστιν ἔνθα, ἔστιν ἦ, ἔστιν ὅτε, aliorumque multorum, quae omnia proprie separata paulatim formam partim adiectivorum partim adverbiorum induerunt. Variat autem ista locutio οὔτις ἔσθ' ὃς οὔ inter οὐδεὶς ὃς οὔ, οὐδεὶς ὅστις οὔ et οὔτις ὃς οὔ. In Nostri Oed. T. 373, σὺ δ' ἄθλιός γε ταῦτ' ὀνειδίζων, ἃ σοι οὐδεὶς ὃς οὐχὶ τῶνδ' ὀνειδιεῖ τάχα; cf. Platon. Alc. I, p. 103, B. Contra Herod. V, 97, καὶ οὐδὲν ὅ τι οὐκ ὑπίσχετο; cf. Plat. Prot. p. 317, C. Rursus hoc nostro loco est οὔτις ὃς οὔ; cf. Aesch. Eumen. 736, μήτηρ γὰρ οὔτις ἐστὶν ἥ μ' ἐγείνατο. Exemplum, ubi etiam οὔτις ὅστις οὔ dicatur, in praesenti quidem non est in promtu; sed ex his simillimis, οὔτις ἐστὶν ὅστις ἐξαιρήσεται Eur. Med. 798, et, ἦπού τις, ὅστις γνωριεῖ μ' ἰδών ib. Electr. 630 *) ap-

*) Alia attulit Elmsl. ad Eur. Med. 775. fin. Cf. etiam Thuc. III, 39, τίνα οἴεσθε ὄντινα οὐ βραχείᾳ προφάσει ἀποστήσεσθαι. Ibid. c. 46, ἐκείνως δὲ τίνα οἴεσθε ἤντινα οὐκ ἄμεινον μὲν ἢ νῦν παρασκευάσασθαι —.

paret non esse, cur non item dici potuerit *οὔτις ὅστις οὔ*: negatio enim momentum non affert. Apparet vero etiam, quantum hac in re ex scriptoris arbitrio pependerit. Nam etsi locutiones istae per se atque indole sua aliquantulum differunt, tamen accuratius omnes consentiunt in universa notione *alle, jeder*, quam ut non optio plerumque scriptori data fuerit, quam sibi vellet eligere. De omnium quatuor discrimine praeclare explicuit Hermannus ad Eur. Med. 775. Quamquam etiam simplicius rem demonstrari posse existimo. Hoc sponte intelligitur, discrimen illud situm non esse in vocibus *οὐδείς* et *οὔτις*, sed, sicut omnibus in locis, ubi relativa ponuntur, in relativis ipsis, nec sibi constaret, qui *οἶδά σε, ὅς εἶ* dicendum esse contenderet, quia res iam *finita* sit verbis *οἶδά σε*, rursus dicendum esse *οὔτις ὅς*, quia *infinitum* iam insit in verbo *οὔτις*, et pleonasmus foret *οὔτις ὅστις*: non minus enim pleonasmus tum esset *οἶδά σε, ὅς εἶ*. Certum est *ὅς* esse *finitum*, *ὅστις infinitum*. Neque profecto non consentaneum est, universa sententia *finita*, relativum quoque eo pertinens *finitum* esse, et contra universa sententia *infinita*, *infinitum* relativum quoque. Sed quatenus talis sententia proprie e peculiaribus duabus sententiis constat, quae ambae sui sunt iuris ac iuxta se invicem partim *finitae* partim *infinitae* esse possunt, usus ille valde est multiplex atque per se quidem quatuor modis mutari potest: *οὐδείς — ὅς*, *οὐδείς — ὅστις*, *οὔτις — ὅς*, *οὔτις — ὅστις*. Sic illud Aesch. Eum. 736, *μήτηρ οὔτις ἐστὶν ἥ μ' ἐγείνατο* proprie est: *scio, quis me genuerit: aliqua mater non est.* Contra, ut teneam hoc exemplum, *μήτηρ οὔτις ἐστὶν ἥτις μ' ἐγείνατο* esset: *nescio, quis me genuerit:* sed *aliqua mater non est.* Porro *μήτηρ οὐδεμία ἐστὶν ἥ μ' ἐγείνατο* proprie esset: *scio quis me genuerit: nulla est mater,* et *μήτηρ οὐδεμία ἐστὶν ἥτις μ' ἐγείνατο: nescio, quis me genuerit:* sed *nulla mater est.* Quamquam hoc totum *οὐδεμία μήτηρ ἐστὶν* recte Hermannus dicit per se ineptum fore. Vide eundem l. c. plane atque insigniter explicantem locum Luciani in Dial. deor. in. 1, ex quo distinctio ista etiam facilius cognoscitur. Iam vero saepe a voluntate scriptoris pendet, quomodo sententiam aliquam exprimere velit; saepe vero etiam

orationis ordine atque genere materiae cogitur, quid sit ponendum, quid non. Apud Aeschylum quidem l. c. fieri non poterat, quin Minerva dea probe sciret, quis se procreavisset, neque etiam causa erat, cur se id non scire dissimularet. Hoc posterius si poëtae consilium fuisset, recte diceretur: *μήτηρ οὔτις ἐστὶν, ἥτις μ' ἐγείνατο;* nunc, quum vel causa adesset, cur illa nosse se originem suam profiteretur, necessarium erat dicentem eam facere: *ἥ μ' ἐγείνατο.* Contra in Eurip. Hel. 926, *Ἑλένην γὰρ οὐδεὶς ὅστις οὐ στυγεῖ βροτῶν*, nihil intererat, utrum poëta diceret: *is, qui me non oderit, nemo est*, an, *aliquis, qui me non oderit, nemo est;* utroque modo dicitur: *omnes me oderunt*, atque poëta elegit, quod versuum rhythmo opportunius videretur. Iam etiam apparet minime esse tam singularem neque locum Euripidis in Medea 788, ubi et Elmsleius et Hermannus paululum haesisse videntur, *οὔτις ἐστὶν ὅστις ἐξαιρήσεται*, i. e. *nescio, quis eos servet, non adest quisquam*, neque Alcestidis locum v. 80, *ἀλλ' οὐδὲ φίλων τις πέλας οὐδεὶς ὅστις ἂν ἐνέποι*, h. e. *nescio, quis mihi dicere possit, ne amicus quidem ullus praesto est.* Pro *οὔτις* vel *οὐδεὶς φίλος* poëta fortius posuit: *οὐδὲ φίλων τις οὐδείς.*

Alia ratio est locutionum *οἶδά σε, ὃς εἶ* et *οὐκ οἶδά σε, ὅστις εἶ.* Pro quibus minus bene dici *οἶδά σε, ὅστις εἶ* et *οὐκ οἶδά σε, ὃς εἶ* recte commemorat Elmsleius ad Medeae v. 1086. Dicitur non modo minus bene, sed dici plane non potest. Nempe sunt illa Graeco more abundanter quodammodo dicta pro simplici *οἶδά σε* et *οὐκ οἶδά σε*, quorum quidque *unam* notionem efficit; prior *finita*, altera *infinita* est. Ad hanc *unam infinitam* quod pertinet, necesse est idem sit *infinitum*, ad illam *unam finitam*, idem *finitum*. Sed falso Elmsleius huc trahit exemplum Iphig. Taur. 750, *σήμαινε δ' ᾧ χρὴ τάσδ' ἐπιστολὰς φέρειν:* hic sensus est: *dic eum, ad quem literas hasce perferre oporteat*, quod est, *scis, ad quem literae perferri debeant, dic eum.* Separandae sunt hae duae peculiares sententiae: *χρή τινι ἐπιστολὰς φέρειν*, et, *σήμαινε αὐτόν;* itaque altera potest *finita* esse, etiamsi prior *infinita* est.

§. 11.

V. 1036 sqq. Menelaus de Aiacis ipsius interficiendi consilio ita loquitur:

κεἰ μὴ θεῶν τις τήνδε πεῖραν ἔσβεσεν,
ἡμεῖς μὲν ἂν τήνδ', ἣν ὅδ' εἵληχεν τύχην,
θανόντες ἂν προὐκείμεθ' αἰσχίστῳ μόρῳ —

Sic vulgo interpungitur, quum locum ita explicent, ut ad *ἡμεῖς ἂν τήνδε* mente substituatur *ἑλάχομεν*, atque his sequens enunciatio, *θανόντες ἂν προὐκείμεθα*, sine copula adiuncta sit. In qua structura, neminem non admirarer, qui non haereret, etiamsi Sophoclem ea usum fuisse exploratum esset. Quo magis miror, si quis nunc fidem illi habuerit, ubi poëtam minime orationem sic conformavisse luce clarius est. Cogita duas potissimum illius constructionis asperitates, semel, quod ad *τήνδε τύχην* suppletur *ἑλάχομεν*, deinde, quod sermo *ἀσυνδέτως* continuatur. Quam crebro in sententiis secundariis verbum aliquod e primaria sententia cogitatione addendum sit, omnes norunt: at scire velim, ubi contra in primaria verbum e secundaria suppleatur. Si igitur Sophocles dixisset: *ἡμεῖς ἂν τήνδ', ἣν ὅδε, τύχην ἑλάχομεν*, non refragarer; nego contra eum dicere potuisse: *ἡμεῖς ἂν τήνδ', ἣν ὅδ' εἵληχεν τύχην*, ita quidem, ut *ἑλάχομεν* ad *τήνδε* suppleatur. Causa in promtu est: primarium enim maius quid esse necesse est secundario, itemque quod suppletur, levius quid eo, quod exstat; suppleri igitur in primaria sententia, quod in secundaria exstat, vehementissima pugna esset. Deinde notum est Graecos post generalem rei alicuius expositionem ea, quibus ista accuratius explicetur, sine copula subiungere. Fatendum est tamen huiusmodi *ἀσυνδέτοις* non multum lucri facere orationis volubilitatem, et quo rariora illa, eo hanc volubiliorem esse. Quare separandi sunt poëta atque philosophus; quorum si huic facilitas atque festivitas orationis minus cordi esse debet, quia docenti maximum est rerum caussarumque perspicuitas, plane tamen illa cordi esse debet poëtae, cui maximum est, ut delectet. Hinc multitudo *ἀσυνδέτων* apud Platonem, paucitas apud poëtas; cf. Matth. gr. gr. p. 1292, e. Hinc etiam cavendum

est, ne, quod est nostrum, poëtae tribuamus, neve ad modum illum locos per ἀσύνδετα explicandi fugiamus, quamdiu alia commodior via praesto est. Apud Sophoclem praecipue horum quidem ἀσυνδέτων rarissima exempla sunt, vix ut hoc unum et insigne et in quo acriter omnes perseverant, inveniatur in elegantissima illa μονολογίᾳ Aiacis v. 826 sqq., ubi Aiax a Furiis talia precatur Atridis:

καί σφας κακοὺς κάκιστα καὶ πανωλέθρους
ξυναρπάσειαν, ὥςπερ εἰςορῶσ᾽ ἐμὲ
αὐτοσφαγῆ πίπτοντα, τὼς αὐτοσφαγεῖς
πρὸς τῶν φιλίστων ἐκγόνων ὀλοίατο.

Non indignus hic locus est, in quo acquiescamus paululum. Ac prima quidem de ἀσυνδέτῳ quaestio est. Quod etsi non nego locum habere posse, tamen etiam hic non esse dubium puto, quin copula ante ὥςπερ inserta facilitas orationis non paulum lucraretur; neque obsistit quidquam copulae nisi librorum omnium in solo ὥςπερ consensus. Nam quod Hermannus magnam divinamque vim inesse in gemina huius loci apodosi observat: manet vis illa etiam interserta copula, quia exsecrationis geminatio manet, et quod in hac sola vis illa sita est, quam ita formavit poëta, ut duplex apodosis exsisteret. Jam quum accedat istorum ἀσυνδέτων tanta apud Sophoclem paucitas, ut vix unum praeterea inveniatur, valde propensus sum eo, ut coniecturae hic esse locum existimem. Forsan scripsit poëta ὥς τ᾽ ἄρ᾽ εἰςορῶσ᾽ ἐμὲ pro ὥςπερ. Altera, quam subiungo, quaestio haec est, utrum poëta ea, quae exsecratur Aiax, vaticinationis loco induxerit. Quae vere ne est quidem quaestio: mirum enim praedictionem quemquam cogitare potuisse, quae statim et verbis et rebus poëtae refellitur. Posset hoc loco, quantum in verbis est, de praedictione cogitari, si quid evenisset postea plane ita, uti praedictum erat. Loquitur Aiax de Atridis: quorum Agamemnonem constat ab uxore interfectum esse, Menelaus, quantum scimus, sua morte defunctus est. Atqui dicit Aiax: αὐτοσφαγεῖς πρὸς τῶν φιλίστων ἐκγόνων ὀλοίατο; quod neque in Agamemnonem, neque in Menelaum cadit. Scire igitur velim, quidnam in his verbis praedictionis insit. Verum est quidem, quod Hermannus ostendit, Aiacem nomi-

nantem tantum Atridas simul Ulyssem detestari; Ulyssem autem quidam tradunt a Telegono filio per imprudentiam occisum esse, ita ut huic quidem conveniat illud *πρὸς τῶν φιλίστων ἐκγόνων*. At neque hac re quidquam efficitur. Manent enim Atridae, a quibus id prorsus abhorret, quamquam, quum ipsi nominatim commemorati sint, etiam vaticinium nominatim in eos cadere deberet. Hic non complector, quo pacto Hermannus praedictionem Aiacis ita intelligat, ut ad Agamemnonem solum *φιλίστων*, ad Ulissem *ἐκγόνων* potissimum referatur, ergo coniuncta haec ad utrumque. Ita profecto defensionem haberet vaticinatio. At *φιλίστων ἐκγόνων una* est notio, quae nullo modo ita divelli potest, ut ad alium tota pertineat, ad alium tantum pars eius; sed necesse est, quocunque referatur, referatur tota, quia diremta, velut aedificium subtracta trabea, concidit. Refertur igitur ad Agamemnonem quoque totum *πρὸς τῶν φιλίστων ἐκγόνων*. Qui quum sit minime in posterum a filio interfectus, sequitur de eo quidem hoc vaticinium fieri non potuisse. Adde idem neque in Menelaum quadrare, cui nunquam a filio illata mors est. Ulyssi autem soli vaticinari Aiacem, qui solus hic non nominatur, contra, qui nominantur, Atridis eum non vaticinari singularis esset et Sophocli nenti-quam imputanda confusio. Sensit hoc Musgravius, quum bene quidem opinioni suae, poëtae vero pessime coniecit: *πρὸς τῶν φιλίστων, ἐκγόνων τε*, hoc ut ad Ulyssem et prius illud ad Agamemnonem spectaret. Nihil temerius est, quam coniectura fundare coniecturam; quasi tam sit confessum Aiacem hoc loco vaticinatum esse, ut corrigi poëta confidenter possit. Sophocles si modo tale vaticinium accommodare voluisset, scripsisset haud dubie, quod certe in duos, Ulyssem et Agamemnonem, quadraret, vel solum *φιλίστων* vel *φιλίστων συγγενῶν* vel simile quid, etsi ne tum quidem vaticinatio satis accurata esset propter Menelaum. Nunc quae scripsit, iis ostendit palam de vaticinio sese plane non cogitasse. Musgravium laudat Hermannus, valde ineptam tamen et minime convenientem exasperato Aiacis animo distinctionem eius vocans, praesertim quum facto postea haec ita distincta fuerint. Mihi contra videtur omnis vaticinatio, quantum in verbis est, tantummodo ita hic

locum habere posse, ut Atridarum et Ulyssis sors non minus distincte praedicta sit, quam postea facto distincta fuit. Qualis enim praedictio, nisi eveniunt praedicta? An Sophoclem tantopere nugatum esse existimemus, ut Aiacem aliquid omnino ante dicentem fecerit, seu eveniret id postea, seu non? Profecto tota praedictio inepta est. Et quidem hoc ad alteram quasi *internam* causam pertinet, cur Sophoclem praedictione hoc loco usum esse negem. Quaeritur enim, utrum personae Aiacis accommodata fuisset ista praedictio: quod secus est. Aiax per totam tragoediam summus heros producitur; qui etiamsi initio cum gladio in greges irruit, tamen hac re de gloria eius nihil detrahitur, sed Minervae hoc tribuendum est, quae mentem eius errore caecaverat. Ab hac ubi non vexatur, ne digitum quidem a via herois declinat. Quin illa ipsa saeva iracundia, qua, donec periit, Atridas et Ulyssem sine intermissione persequitur, et quae eum vel ad occidendos eos abstraxerat, non modo non minuit virtutem eius heroicam, sed incredibilem in modum auget. Verissimum est enim, quod Lessingius in Laocoonte monet, morum apud veteres Graecos excellentiam positam fuisse tam in firmissimo erga amicos amore, quam erga inimicos sempiterno odio. Cui problemati quis excellentius satisfecit Aiace? Et quidem Aiax in fastigio stat gloriae heroicae, quum mortem voluntariam sibi consciscit: qua si vitam contumeliosam fugiebant, nihil erat apud veteres gloriosius. Iam si tam honorificum ac paene magnum erat inexpiabile erga inimicos odium, patet, quantopere hoc nostro loco ornetur magnitudo Aiacis, ubi vel ultimis vitae momentis, quasi testamento, Atridas et Ulyssem denuo exsecratur, declarans ne mortis quidem propinquitatem efficere in se posse, ut inimicorum obliviscatur. Maximi igitur momenti hoc loco exsecratio ista est, quia magnitudo Aiacis, quam poëtae inprimis propositam fuisse ex tota fabula intelligitur, hac exsecratione summopere augetur. Quo minus tolerari potest eorum opinio, qui nescio qua subtili de causa omnes hos quatuor versus spurios esse iudicavere. Sed quaeritur prae omnibus hoc, utrum locus sustineat sibi vaticinationem inferri. Solum ne sit vaticinatio, impedit, quod poëta meros optativos posuit, quibus efficitur primariam notio-

nem *exsecrationis* esse. Restat igitur, ut admixtum sit exsecrationi vaticinium. Nolo inquirere, quam sit per se talis permixtio mira ac singularis. Nam et exsecratio, maxime huius loci, adiuncta vaticinatione incredibiliter debilitatur, et vaticinationem, aspersa exsecratione, difficillimum est pro tali agnoscere, ita ut distincte atque composite expressa neutra sit. Nec vaticinatio mirationem non facit, si alios fabulae locos contemplamur, ubi Aiax inimicos suos malevolentia persequitur: semper non vates est eorum calamitatis, sed iis optat eam atque precatur, V. C. 365 sqq. 381 sqq. Et sane si praesagiebat illos aliquando graviter punitum iri, aegre dispicitur, cur tandem ita se diris fatigaverit, quibus, ex quo Atridas et Ulyssem interimere secus ceciderat, hos devovere non desinit. Quod enim scimus futurum esse, non est, cur assidue precemur. Omissis autem his nihil est clarius, quam summam huius loci virtutem pessumdari, si Aiaci vaticinationem iniungimus. Quam virtutem vidimus constare eo, quod animus illius heroicus ultima illa detestatione, quam ne mors quidem impendens detinet, altissimo in gradu collocatur. At valet hoc tantum in ipsam detestationem; quae sicubi alia notione, ut vaticinationis, permisceatur, in promtu est omnem istam eximiam vim tolli. Et quis crediderit poëtam ludi causa [ludus enim esset omnis vaticinatio] principis suae personae ingenium neglexisse, quod, misso ludo, cum stupore quodam intueamur. Accedit alterum quid. Si Sophocles Aiacem vaticinantem fecit, permisit sibi anachronismum: nam fecit eum vaticinantem, quod factum iam dudum fuerat. Qui anachronismus nos quidem non ita offendit, quippe qui Sophocleam poësin et Agamemnonis Ulissisque mortem propter nimiam vetustatem non magnopere distinguamus, sed fit per ludum antiquitatis, ut res istas plane ita imaginemur, uti revera esse facta debent. At longe aliter necesse est ille anachronismus Atheniensibus apparuerit, coram quibus fabula Aiacis edebatur, et qui nimirum hoc ipsum punctum temporis diligenter discernebant ab eo, ubi Ulysses et Agamemnon interfecti erant. Qui ubi in fabula nostra docenda Aiacem audissent praedicentem aliquid, quod prope iam octingentis annis

ante obtigerat, vereor, ne non minus subrisissent, quam nos, si nostra haec causa esset, rideremus, neve in ipso Aiace, quem adhuc nonnisi divinum heroem cognoverant, sanionem iam subito conspexissent, qui totas illas res factas ad suam quandam vaticinandi vim revocaret. — His igitur de causis minime assentior Aiacem hoc loco a poëta vaticinantem introductum esse. Hoc sane fieri potuit, ut Sophocles hac occasione Ulissis et Agamemnonis interitum recordaretur, quin etiam necesse est eum hunc recordatum esse; at de eo se neutiquam cogitavisse, ut Aiacem illa vaticinantem faceret, suis ipsius verbis declaravit poëta. Hinc enim optativi isti, qui *vaticinationi* prorsus repugnant, et hanc omnino de tribus, quod, si vaticinatio adesset, in unum tantum valeret. Quare dici vix potest, quanta sit temeritas negligentiam historiae poëtae vitio dare, qui historiam plane non respexit, et iure quidem non respexit. Datum erat poëtae, ut, quomodocunque Ulysses et Atridae secundum historiam periissent, exemplum hoc loco acerbae atque ignominiosae mortis proponeret. Quod quis negabit eum egregie absolvisse, quum Aiacem mortem illis precantem fecerit *πρὸς τῶν φιλίστων ἐχγόνων* paratam?

Redeo nunc ad locum propositum. Quem, quomodo vulgo explicetur, explicari falso, praesertim si alia facilior via adsit, satis iam planum esse duco. Adest haec via facillima. Iungenda sunt *τήνδε τύχην θανόντες*, hoc est, *τῇδε τύχῃ θανόντες*, *hac sorte mortui*. Notissimus est usus Graecorum verbis intransitivis ea, quibus accuratius definiuntur illa, per accusativum annectendi, quae alias dativo vel etiam adverbio exprimi solent. Inprimis frequens est ille in annectendis substantivis cognatis, ut *ἁμαρτίαν ἁμαρτὼν* Soph. Phil. 1232. Atque his substantivis si fere adiectivum aliquod vel pronomen additur, fit hoc natura rei. Nam quum omnino in genere isto loquendi id proprie agatur, ut verbum, cui substantivum additur, accuratiorem explicationem accipiat, manifestum est, aut cognato substantivo, ut in *ἁμαρτίαν ἁμαρτάνειν*, explicationem istam novo praeterea vocabulo, vel adiectivo vel pronomine, efficiendam esse, nam solo cognato nondum efficitur, aut iam sub-

stantivo non cognato, tamen propterea tale quod vocabulum plerumque addi, quia, quo plura adduntur, eo accuratior ac melior explicatio est. Itaque dicitur in loco Philoctetae, *τὴν ἁμαρτίαν αἰσχρὰν ἁμαρτὼν*, et nostra in fabula v. 430, *τὰ πρῶτα καλλιστεῖ' ἀριστεύσας*. At est hoc tantummodo solitum, non, ut credidisse nonnulli videntur, necessarium. Nam et in cognatis substantivis non potuit non consuetudine paulatim fieri, ut explicatione interdum neglecta, universus tantum loquendi usus teneretur, quo cum verbis intransitivis accusativus cognati substantivi construitur, et in substantivis minus cognatis saepenumero solum substantivum satis explicationis fuit. Sic dicitur una ex parte *γέλωτα γελᾶν* Soph. Ant. 547, ex altera *ἀπαιδίαν νοσεῖν* Eur. Ion. 622. Multo minus cognatio substantivorum urgenda est: inveniuntur enim totidem loci, ubi sunt non cognata. Appono paucos tantum: Oed. Col. 873, *βίον τοιοῦτον γηρᾶναι*. Oed. Tyr. 194, *παλίσσυτον δράμημα νωτίσαι*, quod recte monent aequiparare *παλινδρομῆσαι*. Eur. Electr. 157, *σὲ τὸν ἄθλιον πατέρ' ἐγὼ κατακλαίομαι λουτρὰ πανύσταθ' ὑδρανάμενον*. Universus hic usus etiam ad verba activa pertinet: in quibus simplicissimus idemque tritissimus is est, ubi verbo activo cognatum substantivum per accusativum adiungitur, ut *τελευτὴν τοῦ βίου τελεῖν* Soph. Trach. 79, *μάθημα μανθάνειν* Philoct. 906, *ἀρὰς ἀρᾶσθαι* Eur. Phoen. 65. Perraro hic adiectivo vel pronomine caret substantivum. Nititur hic quoque usus Graecorum subtilitate ac copia dicendi; et quidem hic esse videtur fons, ex quo reliqua huius generis fluxerint. Quum vero in his substantivum cum pronomine vel adiectivo per accusativum additum adverbii vice fungeretur, etiam accusativum personae subiungebant Graeci, sive cognatum esset illud substantivum, sive non. Prioris modi sunt: *καὶ τὸν μὲν — λούσαντες ἁγνὸν λουτρὸν συγκατῄθομεν* Soph. Ant. 1186, *οὐδ' αὖ τοσοῦτον ἔχθος ἐχθαίρω σ' ἐγώ* Electr. 1023; alterius: *σ' ἰδοῦσ' ἐν ὄμμασι πανυστάτην πρόσοψιν* Eur. Orest. 1018, *τὰ σέμν' ἔπη κόλαζ' ἐκείνους*, in nostra fab. 1086, *Κάσσανδραν γαμεῖ βιαίως σκότιον Ἀγαμέμνων λέχος* Eur. Tro. 42, *τί δ' ἐστί, τοῦ με τήνδ' ἐφίστασαι βάσιν* Sophocl. Trach. 338, i. e. *cur me huncce in modum*

adis, cf. Ai. 42. — Noster locus iam est facillimus intellectu: distinguendus est enim:

ἡμεῖς μὲν ἂν τήνδ', ἣν ὅδ' εἵληχεν, τύχην
θανόντες ἂν προὐκείμεθ' αἰσχίστῳ μόρῳ.

E duabus particulis ἄν prior nunc pertinet ad θανόντες, altera ad προὐκείμεθα.

Caput IV.

ELECTRA.

§. 12.

V. 617 sq. Clytaemnestra dicit ad Electram, quae eam consciderat:

ἀλλ', οὐ μὰ τὴν δέσποιναν Ἄρτεμιν, θράσους
τοῦδ' οὐκ ἀλύξεις —.

Disceptarunt de hac constructione, quacum Musgravius comparaverat Antig. 484, οὐκ ἀλύξετον μόρου κακίστου, Hermannus et Buttmannus. Ambo quidem has duas constructiones diversas esse existimant, sed hoc ipsum diverso modo. Hermannus explicat eas: *effugium habere mortis et effugium habere temeritatis*, priore quidem passive dicto [effugit aliquis mortem], altero active [temeritas effugit poenam]. Quod ex legibus cogitandi recte procedere non putans Buttmannus Antigonae locum explicat per genitivum, qui *motum e loco* significat, Electrae vero ita, ut ἀλύσκω τοῦ θράσους dictum sit pro consuetiore structura ἀλύσκω τὸ θράσος, hoc autem paulo audacius quidem pro: *effugio effectum temeritatis meae* h. e. poenam. Fateor equidem me posse neutri Virorum Cll. prorsus adstipulari. Puto enim ambarum locutionum eandem plane rationem esse. Atque Hermannus quidem quam explicationem proponit, ea, vereor, ut multum lucremur: quaeritur enim etiamnunc, qui explicanda sint talia ἄλυξιν ἔχειν μόρου et ἄλυξιν ἔχειν θράσους, praesertim ubi genitivus paulo insolentior est, ut si χολοῦσθαι τινὸς explices χόλον ἔχειν τινός. Nec non mirandum esset, si Graeci prius cogitassent ἄλυξιν ἔχειν, quam ἀλύσκειν, igitur compositum prius, quam simplex. Contra Buttmannum vero recte Hermannus monet nec, quomodo ἀλύσκω τοῦ θράσους pro ἀλύσκω τὸ θράσος dici, nec, quomodo ἀλύσκω τὸ θράσος significare *effectum temeritatis meae effugio*

possit, apparere. Haec explicatio penitus aliena est. Neque etiam *motum e loco* in causa esse mihi persuadeo, cur in exemplo Antigonae dictum sit *οὐκ ἀλύξετον μόρου*. Nostro enim loco de motu cogitari nequit; et tamen una eademque causa adsit necesse est, cur *ἀλύσκειν* genitivum adsciscat. Ac talem causam hanc esse puto, quae omnino graeci genitivi longe uberrimus fons est. Huius genitivi, quem etiam *patrium casum* Gellius IV, 16, 1 appellat, propria vis ea esse videtur, ut indicet id, abs quo quid principium atque originem ducit. Hinc *genitivi* nomen, quasi sit *genitalis*. Hac vi aliquantulum dilatata, exprimitur omnino id, cuius inprimis, tanquam suspenso ex eo, habenda ratio est [*die Rücksicht*]. Ex hoc fonte, credi vix potest, quot genitivi manaverint. Huc revoco etiam locos istos Electrae et Antigonae. *Οὐκ ἀλύξετον μόρου* est: *non effugietis, ad mortem quod attinet*, et *θράσους τοῦδ' οὐκ ἀλύξεις: ad hanc temeritatem quod attinet, non effugies.* Hoc posterius si nos inscii huius genitivi exprimimus: *du wirst der Strafe für diese Keckheit nicht entgehn:* Graecis in sua lingua idem sonabat *θράσους τοῦδ' οὐκ ἀλύξεις;* quod si accuratius exprimere vellet Sophocles, dicere potuisset etiam sic: *θράσους τοῦδε δίκης οὐκ ἀλύξεις.* Huc porro referendi sunt, qui praeterea a Musgravio citantur, loci: Nostri Phil. 1044, *τῆς νόσου πεφευγέναι.* Oppian. Hal. III, 104. *ἐξήλυξε μόροιο.* Item Xenoph. Anab. I, 3, 2, *Κλέαρχος — μικρὸν ἐξέφυγε τοῦ μὴ καταπετρωθῆναι.* Plat. Apol. Socr. p. 35, D, *ἀσεβείας φεύγοντα ὑπὸ Μελίτου.*

§. 13.

V. 670 usque ad v. 753. Multa sunt de hac narratione et praeclara ex parte disputata, inprimis ab Hermanno. Tamen meo quidem iudicio res nondum tota ad liquidum perducta est. Et sane vix apud poëtam nostrum locus reperietur et pluribus et maioribus et propter constructionem ac scripturae genus et vero maxime propter ordinem ac decursum certaminum difficultatibus obstructus, quam haecce pars fabulae. Quare in ea quidem paulo diutius acquiescendum est, et singuli deinceps, qui impediti videantur, versus contemplandi.

V. 671 sqq. Rectissime primus Hermannus docuit τὸ Ἑλλάδος πρόσχημ᾽ ἀγῶνος dictum esse pro τὸ Ἑλλάδος πρόσχημα ἀγωνιστικόν. Nihil frequentius est apud Graecos, quam duo diversae conditionis genitivi uni substantivo adiuncti, quorum alter pro adiectivo esse solet. Exempla vide apud Matth. §. 380, Anm. 1.

V. 676. Etiamnunc in recentioribus aliquot editionibus pristinum illud et obsoletum τῇ φύσει scriptum est. Quod, utinam sciam, quid sibi velit. Absint enim isti quasi torni, quibus scholiastae illud interpretari studuerunt. Nulla unquam felicior coniectura exstitit Musgraviana [Phoen. 1135] τῇ ᾽φέσει: qua qui iam sensus gignatur, vide apud Hermannum. Quamquam hoc ipsum ab interpretibus diversis modis scribitur. Dindorfius Reisigium, ut videtur, secutus scribit τἀφέσει, Hermannus τῇ ἀφέσει, plerique alii τῇ ᾽φέσει. Per se quidem omnes tres formae admitti possunt. Usum vero si spectamus, qui solus rem dubiam decernit, videmus perpaucos tantum eosque ne tutos quidem locos inveniri, ubi per crasin ex η et α longum α fiat, contra innumeros, ubi post η insequens α per elisionem amputetur. A[illegible] quo[illegible] τῇ ᾽φέσει [illegible] tota haec emendatio [illegible] facilitatis de[illegible], qua ipsa fit, ut tam unica[illegible] ac singularis. Nam apostrophum ante φέσει facillime excidere potuisse, atque tum librarios [illegible] quod ne verbum quidem erat, simillimum φύσει posuisse sua sponte apparet. At τῇ φύσει eos scripsisse, si τἀφέσει vel etiam τῇ ἀφέσει invenissent, multo minus est veri simile. Haec causa est, cur etiam τῇ ἀφέσει aliqua ex parte labefactet, quod ceteroqui per συναλοιφὴν perbene scribi posset. Quare multum praestat scribere τῇ ᾽φέσει, ut τῇ ᾽ρετῇ Eur. Andr. 226, μὴ ᾽δίκει Cycl. 272, μὴ ᾽πολείπεσθαι Soph. El. 1160, μὴ ᾽ποκλεῖσαι Oed. Tyr. 1375, et innumera alia, quorum partem suppeditat Matth. §46. Ceterum ἄφεσιν istam commemorat Pausanias VI, 20.

V. 679. Hendiadyn inesse in verbis ἔργα καὶ κράτη, vix est quod moneam.

V. 681. Difficillimus hic est versus ac paene monstruosus, sed quo nullus clarius prae se fert depravationem. Illa

δρόμων διαύλων πένταθλα interpretem nondum viderunt, neque etiam, credo, videbunt, quamdiu evidens ista repugnantia manet, quae in praesenti verbis inhaeret. Nam δρόμοι δίαυλοι, ut unum genus certaminum, non possunt esse πένταθλα, nec rursus πένταθλα hoc uno genere δρόμου constare possunt. Deinde metrum huius trimetri vitiosum est. Sive enim legamus πένταθλ' ἃ νομίζεται, habemus ea sede, ubi purus iambus esse debet, trochaeum, id quod est inauditum, sive vulgatum teneamus πεντάεθλ' ἃ νομίζεται, nascitur anapaestus ea sede, ubi non minus est inauditum. Clarum est igitur hunc locum, uti in praesenti scriptus est, a Sophocle scribi non potuisse. Doctorum innumeras vel explicationes vel emendationes commemorare non est tanti; tres modo pertractabo, quae sunt potissimae, Brunckii, Porsoni, Hermanni. *Brunckius* metri vitiositatem omittens locum explicat, tanquam si scriptum esset: ὅσων ἀγώνων νενομισμένα πένταθλα οἱ βραβῆς εἰςεκήρυξαν h. e., „quorumcunque certaminum a ludorum arbitris indicta fuere pro more quinquertia. Pro ἀγώνων", inquit, „dixit poëta δρόμων διαύλων, quia cursus certaminum est nobilissimum; itidem Quinquertii pars erat nobilissima cursus duplicati stadii, huiusque certaminis nomine ceterae quatuor quinquertii partes synecdochice continentur: ἀπὸ μέρους, ut aiunt, τὸ ὅλον." Fateor me non videre, quid illis ἀγώνων πενταθλοις magnum lucremur. Nam etsi iam repugnantia ista, qualis adhuc fuit, quodammodo sublata est, nova tamen non minor difficultas oritur, in eo posita, quod vix quisquam illud ὅσων ἀγώνων πένταθλα intelliget, nisi per antiptosin, quam quidam vocant, dictum est pro ὅσους ἀγῶνας πενταθλου. Atqui fieri non potest, ut missis ambagibus accusativus pro genitivo et hic rursus pro illo ponatur, sicut omnino satis hodie inter se consentiunt docti, quid de huiusmodi antiptosibus statuendum sit. Vide, quod de hac re apte atque apposite dicit Hermannus ad Viger. p. 890. Hoc unum effugium esset, ut ἀγώνων succederet in locum adiectivi. At quid essent tandem ἀγώνια πεντάεθλα? Deinde vult Brunckius δρόμων διαύλων esse dictum pro ἀγώνων. Commodissima profecto via. Verum est nobilissimum certaminum fuisse *cursum*, primo quo-

que loco actum fuisse *cursum*, et singulas Olympiades ab heröe nomen duxisse, qui stadio seu *cursu* victor fuerat. At nihilominus fieri nullo pacto potest, ut Sophocles *δρόμων διαύλων* dixerit pro *ἀγώνων*. *Δρόμοι δίαυλοι* nihil nec plus nec minus sunt, quam *cursus* isti *duplicati stadii*, atque, hi quum sint, reliqua omnia *πενταθλον* certamina excipiunt, nedum ut ipsa *πένταθλα* iis possint attribui. Illud enim si increbresceret, ut genus aliquod ex partium nobilissima nominaretur, profecto non admirarer, si pro universa *Terra* homines usurparent *Europam*, quoniam haec inter quinque terrae partes nobilissima ac politissima est. Ita explicatione Brunckiana duo scopuli nascuntur ex uno; quorum si hunc transire non poteramus, planum est, quam multo minus transire possimus duos illos. Venio ad *Porsonum*. Qui in Kiddii Misc. Pors. p. 221 ita coniecit a Sophocle scriptum fuisse: *δρόμων διαύλων ἆθλ' ἅπερ νομίζεται*. Eandem in coniecturam Hermannus aliquando inciderat, et Dindorfius adeo in textum eam recepit. Neque negari potest ea et metrum sanari et sensum emendari, et vel hanc satis magnam difficultatem, quod iam incredibilem in modum de *diaulo* una eademque Pythiade saepius acto dici videatur, non difficilem esse sublatu loco Pausaniae VI, 13, 2, sicut Hermannus acute fecit. Ex hoc loco, qui apud Hermannum exscriptus est, iure colligitur „non omnes simul cursores in certamen commissos esse, sed aliquos tantum, quorum qui vicissent, deinde ipsos inter se certasse, et horum demum qui superior evasisset, pro victore esse habitum.“ Iam locus noster, artificio quidem levi, sic interpretandus esset: *quotcunque singula diauli certamina pro more indixerunt arbitri, ab omnibus, qui in his vicerant, Orestes ultimam victoriam reportavit*. Hactenus igitur non esset, quod Porsonianae coniecturae obsisteret. At recte Hermannus monet nullo modo apparere, qui clarissimum illud *ἆθλα* mutari potuerit in obscurissimum *πενταέθλα*, nisi iusta atque idonea eius rei causa affuisset. Omnino autem ista coniectura neutiquam salutaris esse videtur sententiae loci. Vix enim ac ne vix quidem mihi persuadeo poëtam hoc loco denuo solius *cursus* mentionem fecisse, quem iam v. 673 sqq. diligentius commemoraverat, eiusque eo in loco

mentionem fecisse, ubi potius rerum ab Oreste gestarum summa referenda erat, et ubi hanc summam etiam relatam a poëta esse tum illud ἓν δ' ἴσθι, tum orationis series atque contextus aperto indicio est. De quo loco paulo post uberius dicetur. Interea propter causas, quas modo attuli, emendationem Porsoni comprobare nondum possum. Restat *Hermanni* de hoc loco opinio. Qui in novissima editione Electrae, servata vulgata, interpungit, *δρόμων, διαύλων, πεντάεθλ' ἃ νομίζεται*, statuitque hoc *πεντάεθλα* per attractionem dictum esse pro *πενταέθλων, ἃ νομίζεται*. Certum est hanc explicandi rationem earum, quae sunt prolatae, maxime satisfacere iis, quae sensus postulat. Item *δρόμος* et *δίαυλος* ut paululum diversa genera certaminis recte sunt separata. Sed primum ista attractio parum mihi videtur et naturae et usui attractionum convenire, inprimis quod antecedunt genitivi *δρόμων, διαύλων*. Aliud enim esset, si vel *δρόμων, διαύλων* plane abessent, vel certe scriptum esset, *δρόμοι, δίαυλοι, πεντάεθλ' ἃ νομίζεται*. Nunc insolentissima attractio est. Deinde vero maneat vitiosum metrum, atque ea res maximo esse documento mihi videtur, quantopere hic locus adhuc laboret. Anapaesti trimetro, nisi initio eius vel in nomine proprio, immixti exemplum, quantum scio, ne unum quidem apud tragicos invenitur. Vid. Herm. doctr. metr. p. 119 sqq. Quo minus autem tribuo consuetudini in numeris permixtis, ut carmine melico, brevis longaeve syllabae causa textum poëtae corrigendi ceteroqui sanissimum, eo magis inclino ad hanc sententiam, ut in trimetro, usitatissimo illo et simplicissimo ideoque etiam certissimo metro, propter trochaeum vel anapaestum, qualis nunquam inventus est, textus mutetur, de quo ipso praeterea maxima dubitatio movetur. Graecorum trimetrum compertum constitutumque habemus, quum contra de numeris eorum mixtis valde adhuc incerti simus ac dubii, quia horum quidem universum opus neque arte conclusum esse neque omnino certo aliquo ac firmo fundamento niti videtur. Quare neque hac Hermanni explicatione, quamvis sit optima omnium, contentus esse possum. Ac nihil forsan longo ex tempore in literis graecis splendidius exstitit, quam coniectura ab eodem Viro Clarissimo elicita e

loco isto Pausaniae: *δρόμων διαύλων πεντάδ'*, *ἣ νομίζεται*. Et metrum et sensus aeque excellenter hac medicina restituuntur. Nec dubitarem hanc pro verissima scriptura iudicare, nisi mea sententia de ea idem illud dicendum esset, quod iam in Porsoniana coniectura exprobravi et de quo nunc copiosius disputaturus sum. Quaeritur enim, quid tandem sit, quod poëtam hoc loco dicere voluisse et certaminum singulorum ratio et totius narrationis consilium, ordo atque dispositio efficiat. Contendo autem Orestem e ficta ista narratione hoc loco non solum *δρόμῳ* et *διαύλῳ*, sed etiam toto *πεντάθλῳ* victorem fuisse, id quod tum rationi narrationis, quae praecipue ad animos audientium commovendos pertinet, accommodatissimum est, tum e poëtae verbis recte concluditur. Exempli causa illud *ἐν πολλοῖσι* v. 678 apertissime non tantum stadium et diaulum, sed reliqua quoque quinquertii certamina significat, et verba *οὐκ οἶδα τοιοῦδ' ἀνδρὸς ἔργα καὶ κράτη* certe eum quinquertii quoque victorem denunciant. Solum apud Pindarum duo afferuntur exempla victoriae toto quinquertio reportatae, semel a Xenophonte Corinthio [Ol. XIII], deinde vel a puero Sogene Aegineta [Nem. VII]. Qua ex re hoc saltem elucet istiusmodi victorias minime fuisse ita insolitas, et, nisi Orestes quinquertio certe victoriam tulisset, eum nec talem a Sophocle dici potuisse, „qualis nondum exstiterit," neque omnino tam miris atque effusis laudibus efferri, sicut factum est. Iam paedagogus initium narrationis a *stadio*, utpote primo certamine ac nobilissimo, sumit. Atque in eo quidem paulo accuratius versatur. Sed longum ei fit reliquorum quoque, quae usque ad *cursum equestrem* acta erant, certaminum *rationem* diligentius exponere. Itaque, ut brevi praecidat [*ὅπως μὲν ἐν πολλοῖσι παῦρά σοι λέγω*], hoc tantum universum, „se nunquam adhuc res tam fortiter gestas ab homine vidisse," monet. Hic addit *ἓν δ' ἴσθι*. Hanc *unam* in promtu est insignem rem esse et summi ponderis. Quam si statuimus nonnisi Orestis *stadio* ac *diaulo* victoriam fuisse, tres hinc poëtae vituperationes exoriuntur. Primum iure quis reprehendat *cursum*, de quo iam ante poëta accuratius exposuisset, denuo huic loco intrusum esse. Orestem enim cursu vicisse satis superque novimus.

Deinde quis etiam maiore iure reprehendat hanc inanem repetitionem cursus factam esse cum detrimento reliquorum certaminum, quorum ipsorum quoque certe indicanda summa erat. Semel cursum nominari, quod esset maximum certamen, etiamsi reliqua non nominarentur, facile ferrem; intolerabile est autem bis nominari illum, reliqua plane non. Tertio denique mirae ineptiae essent, si Sophocles tantummodo *cursum*, simplicem et diaulum, significans ita locutus esset: ὅσων εἰςεκήρυξαν βραβῆς, δρόμων, διαύλων: quasi vero δρόμος et δίαυλος essent τόσα, et quidem τόσα, ut, quod solet in multis, sine copula coniungi possent. Nam sic certe dicendum fuisset: ὧν εἰςεκήρυξαν βραβῆς, δρόμων καὶ διαύλων. Sed, ut iam monui, ex his ipsis poëtae verbis nihil est certius, quam Sophoclem aliorum quoque certaminum mentionem fecisse, et quidem *pentathli* fecisse, quod iam omnibus in libris, corrupta quidem ratione, exstat. Atque hoc persuasissimum mihi est, poëtae hoc loco mentem eam fuisse, ut Orestis *stadio*, *diaulo*, *pentathlo* certaminum summam indicaret, quae erat victoria. Hinc illud ἓν δ' ἴσθι, quod quis non male interpretaretur: *summa est*. *Unum* poëta dicit; *uno* seu *paucis* multa complectitur; *verbo* dicit Orestem omnibus certaminibus palmam tulisse. At ubi scriptum est tandem eum vicisse πεντάθλῳ? Nostro quidem loco ne summis tormentis quidem sensus ille extorqueri potest, et omnium, quas docti proposuerunt, explicationum sola Hermanniana eum exprimeret, si modo eadem usui loquendi paulo magis congrueret. Reiskius coniecit: πέντ' ἀέθλων, ὧν νόμος. Rectissime profecto, si omisisset apostrophum. Certo enim poëta scripsit: δρόμων, διαύλων, πενταέθλων, ὧν νόμος. Quod sensu ad amussim paene aequat coniecturam, quam Hermannus obiter commemorat in divina recensione Pindari a Dissenio editi [*Neue Jahrbücher für Phil. und Päd.* 1831, *Erster Band, Erstes Heft, S.* 51.]: δρόμων, διαύλων, πέντε θ' ὧν νομίζεται, ἄθλων. Prius ων sequente ων, litera ν sequentis ων sequente ν in νόμος facile exstingui potuit atque hinc nasci ᾶ. Quorsum haec. Talium depravationum investigare causas honori esset librariis, quo quam sint indigni, universus antiquarum literarum thesaurus

testis est. Satis est Sophoclem illa scripsisse necesse esse: quae qui corrumpi potuerint, Deus sciat. Atque habemus iam, quod requisivimus. Iunge ὅσων εἰσεκήρυξαν βραβῆς, τούτων ἐνεγκὼν πάντα τἀπιν. ὠλβίζετο. Ὅσων per usitatissimam attractionem est pro ὅσα [v. Matth. §. 473, 474], et δρόμων, διαύλων, πενταέθλων per appositionem referuntur ad ὅσων. V. *Krügers Untersuchungen, 3tes Heft, S.* 235. Una res superest, quae haud parvam nonnullis difficultatem habuit et quae Hermannum vel commovisse videtur, ut, totus versus 681 an Sophoclis sit, dubitaret. Sane non magnam iacturam faceremus, si scriptum esset:

ὅσων γὰρ εἰσεκήρυξαν βραβῆς,
τούτων ἐνεγκὼν πάντα τἀπινίκια —

Tamen ille versus librorum consensu munitior est, quam ut concuti queat. Difficultas autem ista eo constat, quod e Xenophonte et quodammodo etiam e Pausania colligitur in Olympiis pentathlon ac cursum equestrem non modo uno eodemque die acta esse, sed etiam pentathlo cursum equestrem antecessisse; et tamen hoc loco Sophoclis illud huic alio plane die antecedit. Quod non credidissem sollicitare quemquam posse. Apud Sophoclem de Pythiis sermo est. Quae ut in universum simillima fuerint Olympiis, id quod re ipsa intelligitur, tamen utrobique singula singulis accuratissime respondisse nunquam accepimus et ne verisimile est quidem. Pausanias X c. 7 narrat ante secundam Pythiadem pleraque praeter cursum equorum certamina Olympica in Pythiis recepta esse; at ordinem ac rationem Pythiorum eandem plane fuisse atque Olympiorum neque ipse tradit neque alium scriptorem nunciare memini. Quare si Sophocles hoc loco expresse dicit pentathlum ante cursum equorum actum esse, statuendum est utrosque ludos hac minuta re discrepavisse, donec ab uno aliove scriptore meliora de Pythiis edoceamur. Sed ponamus adeo pentathlum post cursum equorum in Pythiis quoque factum esse: tamen quis poëtam magnopere obiurgabit, quod ordinem paulo mutaverit propter ornandum celebrandumque Orestem? Ad persuadendam Clytaemnestrae mortem Orestis nihil aptius erat cursu equestri,

in quo saepissime fiebat, ut agitatores perirent *). Sed simul propositum erat poëtae, ut Orestem ante eius obitum laudibus, quam maximis posset, ornaret. Quod, credo, multo minus assecutus esset, si eum nonnisi stadio ac diaulo victorem renunciavisset.

V. 703. Agitur hic de veritate ac significatione locutionis ἓν δέ. Hermannus nescio qua peculiari de causa perseveranter negat ἓν δέ significare *simul* atque de tempore usurpari. Scribit igitur hoc loco cum aliquot codd. ἔκ δέ, ne, pace Viri Clarissimi dixerim, ἓν δέ interpretari *simul* coäctus sit. Nolo diu inquirere, utrum *possit* locutio ista de tempore dici, necne. Certe non plus proficerem, quam quum de eodem olim loco in Societate Graeca Hermanni sententiam meam aperiebam. Attamen haec mihi certa sunt. Scriptura ἔκ δὲ pro ἓν δὲ admitti non potest. Nam quid est et significat tandem ἔκ δὲ? Pro adverbio haberi nequit, quia sic nunquam apud Graecos usurpatur. In usu autem hic omnia sita sunt, etiamsi forsan per se illud non minus esse posset adverbium, quam aliae praepositiones. Restat igitur, ut sit per tmesin a *verbo* suo diremtum. At hic necessario ab altera scriptura ἐν δέ depellitur. Ambae quidem per se ac simili vi tmesi disiunctae esse possunt. Tamen ἐν δὲ vulgata est, ἐκ δὲ paucorum tantum codicum lectio; apud Platonem exstat verbum ἐμμεστὸς, nusquam vel ἔκμεστὸς vel ἐκμεστόω vel aliud huiusmodi compositum invenitur, ita ut ἐξεμεστώθη ne verbum quidem esset. Quaero igitur, quis non integer iudex, si optio esset inter utramque tmesin, liquido praeferret ἐν δὲ? Mitto iam, quam sit periculosa haec tota tmesis. Nam si modo tragici hoc scribendi genere usi sunt, vix id fecerunt nisi inserto monosyllabo, atque hoc ipsum, ut videtur, tantum in Choris. Ex iis, quae dicta sunt, hoc saltem apparet, nobis acquiescendum fore in scriptura ἐν δὲ, nisi ea ab alia parte etiam probabilis perquam ac commendanda esset. Nempe quum vix hoc unum, ubi ἐκ δὲ solitarium sit, exemplum reperiatur in Hom. Il. 11, 109, ἐκ δ' ἔβαλ' ἵππων, multa contra in promtu habeo, ubi ἐν δὲ il-

*) Vid. Voyag. d'Anachars. T. III, p. 70.

lum in modum collocatum est: quae posthac enumerabo. Porro inter haec ipsa exempla unum est, quod hoc nostrum Electrae tam singularem in modum aequat, ut aut utrumque mutandum esse contendam, aut neutrum. In Soph. Antig. legitur v. 416 ἓν δ' ἐμεστώθη μέγας αἰθήρ. Iure hunc locum nemo impugnare conatus est; sed non magis hic noster impugnari debebat, in quo ne ipso quidem ulla causa excogitari potest, cur pro corrupto putetur. Codices aliquot habere ἐκ δὲ nihil plane comprobat, nisi librarios quosdam falso ita legisse pro ἐν δὲ, id quod eo facilius accidere poterat propter composita ἐκπληρόω, ἐκπίμπλημι et huiusmodi alia.

Iam persequamur paululum naturam ac significationem istius ἐν δέ. Quae exploranda est potissimum e locis, ubi usurpatum est illud. Et quidem habeo in praesenti hos praeter nostrum Electrae: Soph. Oed. Tyr. 27, ἓν δ' ὁ πυρφόρος θεὸς σκήψας ἐλαύνει πόλιν. Ib. 182, ἓν δ' ἄλοχοι πολιαί τ' ἔπι ματέρες ἀκτὰν παρὰ βώμιον ἐπιστενάχουσιν. Trach. 206, ἓν δὲ κοινὸς ἀρσένων ἵτω κλαγγὰ τὸν εὐφαρέτραν Ἀπόλλωνα προστάταν. Antig. 416, ἓν δ' ἐμεστώθη μέγας αἰθήρ. Aiax 660, ἓν δ' ὁ παγκρατὴς ὕπνος λύει πεδήσας, οὐδ' ἀεὶ λαβὼν ἔχει. Hoc ultimo loco Hermanno non displicet Bothii atque Erfurdtii ἐκ δέ. At iure Lobeckius id „male" propositum esse dicit, assentiente Schaefero. Prorsus non causa est, cur ἓν δέ mutetur, et si quae esset, ἐκ δέ esset alienissima mutatio omnium. Porro Eurip. fr. Belleroph. XX, 13 [Matth.], ὅστις γαῦρον σπέρμ' ἔχων βίου σπανίζει, τῷ γένει μὲν εὐτυχεῖ, πενίᾳ δ' ἐλάσσων ἐστὶν, ἓν δ' ἀλγύνεται. Perperam hic Barnesius et Musgravius ἕν δ' ἀλγ. Hom. Odyss. V, 260, ὃ δ' εὖ τεχνήσατο καὶ τὰ, ἓν δ' ὑπέρας τε κάλους τε πόδας τ' ἐνέδησεν ἐν αὐτῇ. X, 234, ἓν δέ σφιν τυρόν τε καὶ ἄλφιτα καὶ μέλι χλωρὸν οἴνῳ Πραμνείῳ ἐκύκα. Pind. Olymp. X, 90, ἓν δ' ἕσπερον ἔφλεξεν Σελάνας ἐρατὸν φάος. Alia exempla dat Blomfield. Aesch. Theb. 965 et Dorvill. Char. p. 275. Sufficiunt haec, e quibus colligatur isti ἐν δὲ peculiarem quendam apud Graecos usum subiectum fuisse. Et quidem aut verum adverbium est, aut tmesi a *verbo* suo separatum. Verum adverbium esse iam locis illis Sophocleis maxime probabile est.

Qui enim fieret, ut in hoc ipso ἐν tmesis tam saepe adhibita esset et apud Sophoclem, qui, nisi in melicis, ab hoc epico scribendi genere plane abstineat? Et qui fieret, ut huic ἐν semper particula δὲ potissimum adiuncta esset, quum vel nunquam vel rarissime saltem ἐν δὴ vel ἔν γε vel ἐν μὲν et similia dicantur? Accedunt autem, quibus illud etiam ad liquidum ac confessum perducatur. Nam inter omnia ista, quae attuli, exempla vix duo reperiuntur, in quibus iure meritoque de tmesi cogitari possit: dico nostrum locum et Antig. 416. In reliquis omnibus aut inter ἐν δέ et *verbum* tam multa sunt interserta, ut tmesis tam audax ac vere Homerica tragico nostro tribui non possit, ut Oed. Tyr. 27, aut *verbum* eiusmodi est, ut copulari sese cum ἐν non patiatur, id quod tamen natura tmeseos requirit, ut Oed. Tyr. 182, Trach. 206, Ai. 660, etiam in loco Pindari. Inprimis e locis istis Homeri patet ἓν δὲ solitarium esse neque *verbo* ulla societate contingi. Et apud Herodotum, qui ἓν δὲ δὴ, alia quidem significatione, plerumque iungit, adverbium id esse exploratissimum est. Iam si longe maiorem locorum partem respicimus, ubi ἓν δὲ merum adverbium est et consideramus vim eam, quam ista quasi particula habere videatur, non modo reliquis omnibus in locis paene necessariam, sed etiam duobus illis exemplis Electrae et Antigonae mirabilem in modum aptam et opportunam esse, uti posthac ostendam, et si denique meminerimus frequentissimum esse Graecorum morem praepositiones, quae primitus adverbia sunt, pro adverbiis usurpandi [v. Matth. §. 594, 1], nemo non, credo, mecum pro certo habebit etiam locutioni ἓν δὲ usum *adverbii* subesse. Et quid significat tandem adverbium ἓν δέ? Propria vi *locali* insignem in modum exstat apud Homerum Il. XVIII, 483 sqq., ubi praecedenti ἓν μὲν respondet; item apud Pindarum Ol. XIII, 31 sq. ἓν δὲ Μοῖσ' ἀδύπνοος, ἓν δ' Ἄρης ἀνθεῖ. Herodotus, quem iam monui fere connectere ἓν δὲ δή, tribuit ei vim *numeralem, darunter, unter andern:* cf. I, 184. 185. 192. II, 43. 176. III, 15. 39. VIII, 113. IX, 32. At omnibus fere in locis, quos ante retuli, significatio *zugleich* ita sponte se offert, ut quis illos germanice reddens hanc vocem diligentiae causa adderet, etiamsi ἐν δὲ plane ab-

esset. Hermannus negat ἔν δὲ significare *simul*, sed, quantum ex notis eius cognoscimus, tantummodo ita, ut *simul* ad *tempus* pertineat. Contra largitur ἔν δὲ adverbium esse et significare *in horum numero* sive *in his*, *quae talia sunt*, ideoque intactum relinquit ἔν δὲ, ubicunque illum in modum explicari potest. Interim loci a me citati omnes huiusmodi sunt, ut ἔν δὲ illata vi per *in horum numero* explicari possit, quum tamen quilibet interpres liberior neque μικρολόγος iisdem in locis potius *simul* et *zugleich* sit redditurus, quam *in horum numero*. Ut utar exemplis, Oed. Tyr. 27 proprie dicitur: *in horum*, quae dixi, *numero* pestis pessumdat urbem. Ib. 182, *in horum*, quae fiunt, *numero* uxores et matres ad aras lamentantur. Trach. 206, *in horum*, quae iubeo, *numero* mares Apollinem celebrent. Ai. 660 Hermannus ipse annotat ἔν δὲ proprie esse *in horum numero*. Hom. Od. V, 260, *in horum*, quae faciebat, *numero* funes in navi alligavit. Pind. Ol. X, 90, *in horum*, quae erant, *numero*, luna vesperem illuminavit: quamquam hoc loco, inprimis propter sensum, etiam tmesin licet statuere; neque enumerantur plura et Pindaro omnium generum tmeses usitatissimae sunt. Porro nostro in loco proprie sensus est: *in horum*, quae fiebant, *numero* stadium strepitu implebatur. Denique Ant. 416, *in horum*, quae fiebant, *numero* aether implebatur: etsi hic ἔν δὲ recte cum scholiasta significare posse *simul* ipse Hermannus ad hunc Electrae locum fatetur. At vero videre velim versionem vel latinam vel germanicam, quae in his omnibus durissimum illud *in horum numero* vel *darunter* exhiberet. Hac re si totum opus metiremur, profecto monstrum esset, quale literae nondum viderunt. An existimemus Graecos in illis cogitavisse potius *in horum numero*, quam simplicissimum *simul*? Hoc tarditatem rusticitatemque linguae Graecae probaret, quae vehementissime pugnaret cum eius notissima ac summa habilitate et abundantia. Quid plura? notionem *simul* in locis allatis inesse clarius est, quam de quo dubitari queat. Quam notionem nisi ἔν δὲ exprimeret, posuissent scriptores illi ἅμα vel ὁμοῦ. — Sed qui fit, de quo modo sermo fuit? Qui fit, ut exemplis illis *in horum numero* accommodari possit, et tamen ubique ἔν δὲ etiam *simul* non tantum

significet, sed necessario significet? Fit, credo, natura rei. Nam hae ipsae duae notiones tam sunt connexae ac paene sororio vinculo iunctae, ut ne dividi quidem belle possint. Ambae ex uno fonte manarunt; ambae translatae sunt; quin illud ipsum *in horum numero* quodammodo pons est, trans quem vis propria *localis* locutionis, ἔν δὲ ad *temporalem* migravit cum eaque coaluit. Nam subest notioni *in horum numero* universa *coniunctionis* notio. Quae *coniunctio* duplex est, *localis* et *temporalis*. Itaque iam natura rei in isto *in horum numero* simul *temporalis* notio inest, sed quam ad proprium eius vocabulum *simul* ablegamus. Et si quis concedit ἔν δὲ esse *in horum numero*, eo ipso concedit id etiam *simul* significare posse. An statuamus linguam Graecam solum ἔν δὲ mirandum in modum excepisse? eam huic soli contra omnem analogiam translationem non concessisse, qua verecundior esse non potest? Tum scire velim, cur in ἅμα, ὁμοῦ et similibus longius iverit; cur aliter fecerit, verbi causa, in σὺν et μετὰ, quorum prorsus eadem ratio est atque vocalae ἐν, et quorum tamen vis *temporalis* negari non potest; vide Soph. Ant. 85, Eur. Herc. fur. 765, Hom. Il. XXIII, 879, II, 446. 447. XVIII, 515; cf. Schaef. ad Theocr. p. 211. Scire velim, cur ἐν ut singula ac separata notio, hoc est, ut adverbium exclusum sit, contra cum aliis nominibus iunctum et praepositio factum iam subito vim *temporalem* acceperit, ut ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ, vel solum ἐν τούτῳ, ἐν ᾧ, ἐν αἷς [ἡμέραις], ἐν βραχεῖ et multa alia. Profecto incredibile esset hoc ipsum ἔν δὲ ab omni *temporis* notione alienum mansisse. Et tamen nobis obmutescendum esset, si inspicientes linguae Graecae monumenta videremus ἔν δὲ *nunquam* de tempore dictum esse et significasse *simul*. *Usus* est solus idoneus in literis antiquis arbiter. Qui si ostendit aliquid *factum esse*, vanum est quaerere, utrum fieri *potuerit*. Et quidnam dicit arbiter ille usus? Dicit iam omnibus illis, quos habui in promtu, locis ἔν δὲ utique esse *temporale* significareque *simul*. Inprimis hoc loco Electrae et Ant. 416, ubi id maxime agitur, ut plurium rerum concursus per vividam imaginem depingatur, nihil significatione ista manifestius est. In priore enumerantur, quae *uno momento simul* fiunt, ubi

buccina certaminis signum dat, in altero, quae *uno momento simul* fiunt, ubi tempestas saeva cooritur. Atque exempla ista, ut mihi videtur, satis sunt ad *temporalem* adverbii ἔν δὲ usum comprobandum ac confirmandum. Nec desunt, qui eundem sua auctoritate, non parva illa quidem, adiuvent. Uno consensu eum agnoscunt Monkius ad h. l., Schaef. ad Aiac. 674, Elmsl. ad Oed. Tyr. 27, Blomf. ad Aesch. Sept. adv. Th. 965, Dorvill. ad Charit. p. 275 sqq. Wessel. ad Herod. II, 43. Qui et etiam ex parte ἔν δὲ paulo liberius reddunt *praeterea*, tamen, ubi de pluribus eodem tempore accidentibus sermo est, hoc *praeterea* et *simul* sponte ad idem redeunt.

V. 709. Duo me hic offendunt ita, ut locum corruptum putem. Prius tota oratio dissipata est et incomposita. Quid enim in causa est, cur ἤφριζον et εἰςέβαλλον sine copula iuxta se posita sint? In spumatu equorum celeritatis notio neque inest neque natura rei inesse potest. Tantum reliqua celeriter ipse quoque spumatus sequitur, hoc est, buccinae sonus, incitatio equorum, essedorum strepitus, turbo pulveris et equorum spumatus — haec omnia *uno ictu* fiunt: sed recte id exprimit poëta: ὁμοῦ γὰρ ἤφριζον —, neque opus est ad id ἀσυνδέτῳ illo. Etiam gravior altera difficultas est. Nam quid sibi vult tandem εἰςέβαλλον ἱππικαὶ πνοαί? Ἤφριζον ἱππ. πνοαὶ aliquo modo ferri posset, quatenus hoc dictum esset pro ἤφριζον πνέοντες ἵπποι. At, quid sit εἰςέβαλλον πνοαὶ, nescio. Scilicet εἰςβάλλειν iam intransitivum est. Tamen de eo non sermo est, quod anhelitus equorum *circum terga rotasque effundantur*, quod qui factum esset non comprehendo, sed, quod *spumae* ita effundantur. Potius ipsi anhelitus sunt, qui effundant spumas. Haec igitur sunt, quae me moveant, ut Sophoclem aliter scripsisse arbitrer. Certissime scripsit: ἀμφὶ νῶτα καὶ τροχῶν βάσεις ἀφρισμὸν εἰςέβαλλον ἱππικαὶ πνοαί.

V. 710. Optime hunc et sequentem versum explicuit Hermannus. Quamquam non assentior ei dicenti ὑπ' αὐτὴν ἐσχάτην στήλην ἔχοντα esse, qui „paene pervenerit ad metam et ibi equos agat.“ Sensus quidem non ita ineptus est: *Orestes quoties sub metam equos agebat, tam brevi flectebat gyro, ut axis*

paene illam contingeret i. e. brevissimo flectebat gyro. At iam temere ac sine causa additum est *αὐτὴν*, id quod tamen gravissima de causa factum esse oportet. Itaque hunc potius sensum esse mihi persuadeo: *Orestes sub ipsam metam vehens* [i. e. sub ipsam metam stationem sortitus], *brevissimo semper anfractu circum eam flectebat equos.* Quod brevius pressiusque dictum est, causa et effectu coniunctis, pro: statio eius talis erat, ut *sub ipsam metam* veheretur, ad quam quoties veniebat, brevissimo anfractu flectebat. Et sane multum desiderassemus, si Sophocles ne verbo quidem stationem attigisset, quam heros fabulae in hoc certamine sortitus erat. Quae statio gravissimi momenti erat. Quo magis enim sinistrorsum seu spinam, quam vocabant, versus vehebantur, eo brevior esse poterat gyrus, quo circa metam flectebant, et eo tutior erat aurigatio; quo magis autem dextrorsum seu prope foros, eo maior ac sinuosior erat gyrus, eo facilius illi corruere poterant et eo longius post reliquos aurigas relinquebantur. Vide Herm. ad h. v. et ad 724. Propter hoc ipsum summum momentum stationis sorti ea committebatur [v. 699 sq. et Iliad. 23, 352 sqq.]. Et si quis ita nobis curae est, uti Orestes, eius si certatio in cursu equestri accurate exponitur, perinviti certo rem tanti ponderis neglectam in eo videbimus, quanti statio agitatorum fuit. Orestis autem fuisse revera proximam spinae stationem affirmatur iis, quae ad v. 718 dicam.

V. 712. Hermannus bigas et Oresti et reliquis certatoribus tribuit, *σειραῖον ἵππον* dextrum equum iugalem interpretans. Equi in certaminibus istis vel *ζύγιοι* erant vel *σειραῖοι*: *ζυγίοις* duobus constabant bigae, duobus *ζυγίοις* interioribus et totidem *σειραίοις* exterioribus quadrigae. Notandum est igitur primum inauditum illud et incredibile, Sophoclem, si de bigis loquatur, *ζύγιον ἵππον* signare prorsus contrario nomine, *σειραίον*. Per me licet verbo *σειραίον* omnino robur ac fortitudinem interdum exprimi: nego tamen ac pernego equum eumque *ζύγιον* equum, qui plane contrarius est *σειραίῳ*, *σειραῖον* dici posse propter robur. Deinde constat, inprimis e locis Pausaniae ab ipso Hermanno allatis, bigas in Pythiis demum Olympiade XCV sive circa annum 396 ante Chr. n., igitur novem circiter

annis post mortem Sophoclis, introductas esse. Usque eo non nisi quadrigis certari solitum. Etiam apud Euripidem [Iph. Aul. 215 sqq.] Eumelus, rex Pherarum, cum Pelida pedibus currente certat quadriga, cuius sunt duo ζύγιοι interiores et duo σειραφόροι exteriores. Itaque iam testimoniis illis historiae coäcti sumus aurigis nostri loci omnibus quadrigas tribuere, siquidem non tantum tempus horum Pythiorum, sed etiam ipse Sophocles bigas adhuc plane ignorabat. Denique sermo est hoc versu de δεξιῷ σειραίῳ ἵππῳ. Ubi est *dexter funalis*, etiam *sinistrum* esse necesse est, et ubi *funales duo*, ex more veterum Graecorum etiam *iugales duos:* neque enim unquam soli funales duo essedo iungebantur, sed duobus iugalibus duo funales addebantur. Hinc scholiastes ad locum nostrum: τὸν ἔξω τοῦ ζυγοῦ, τὸν δεξιόν. Tria sunt igitur, quae prorsus flagitent, ut hic quadrigis certatum esse putemus. Et ecquid est tandem, quod illis obsistat? in tota narratione ne syllaba quidem; immo expresse significantur quadrigae verbis δεξιὸν σειραῖον ἵππον. Quare non capio, quid Hermanno in mentem venerit cogitanti de bigis.

V. 715 sqq. Memorabile est, quam male habuerint interpretes verba τελοῦντες ἕκτον ἑβδομόν τ' ἤδη δρόμον. Aliis scrupulum iniecit, quod τελοῦντες ad femininum πῶλοι refertur, alii iique plurimi non perspexerunt, qui Aenianis equi *simul* sextum septimumque cursum agere potuerint, quasi id tam necessario insit in verbis Sophoclis, ut evitari non possit. Nihil interest in singulis doctorum explicationibus commorari, quum earum potissimas Hermannus iam recte perstrinxerit. Sed ipse quoque Vir Cel. in versu hoc haesitat, ineptum vocans, „quum Aenianis equos in Barcaeos irruentes non sextum simul et septimum cursum, sed alterum utrum agere necesse fuerit.“ Quem scopulum ut effugiat, ἐξ ὑποστροφῆς interpretatur *denuo*, *iterato* et iungit cum τελοῦντες. At minime credo illud ἐξ ὑποστροφῆς hoc ipso loco, ubi *flexioni* circa metam exprimendae et debet inservire et vero etiam optime inservit, exstare non modo tam rara significatione ac paene nova, sed etiam significatione, qua vere nihil est nisi otiosum additamentum: nam istud *denuo* satis superque iam inest in ipsa re. Sed ne

intelligo quidem, cur illi ἐξ ὑποστροφῆς potissimum obtingat, ut cum τελοῦντες iunctum iam subito difficultatem in ἕκτον ἕβδομόν τε tollat. Certo nemo non facile intelligeret poëtam, si ita scripsisset: τελοῦντες ἕκτον ἕβδομόν τ' ἤδη δρόμον ἐξ ὑποστροφῆς μέτωπα συμπαίουσι Βαρκαίοις ὄχοις: quod esset in lingua vernacula: *sie gehen durch, vollenden den sechsten Umlauf, vollenden den siebenten in ungeheurer Schnelle; da prallen sie aus der Wendung ab gegen die Barkäischen Rosse.* At quidnam interest inter haec et illa, quae vere scripsit poëta? Tantum forma sententiae paululum mutata est, posito post verba τελοῦντες ἕκτον ἕβδομόν τ' ἤδ. δρ., quod Sophocles ante ea posuit, sententia ipsa ne pilo quidem diversa est. Dicit enim poëta: *sie gehen durch und prallen aus der Wendung, indem sie windesschnell den sechsten und schon den siebenten Lauf vollendeten, gegen die Barkäischen Rosse.* Scilicet τελοῦντες imperfectum est. Poëta eventum dicturus erat [ἐξ ὑποστρ.], sed, ut colligat, quae restent, paululum regreditur [τελ. ἕκτ. ἕβδ. τ' ἤδ. δρ.], atque tum demum filum rursus excipit [συμπαί. Βαρκ. ὄχοις]. Qua constructione laudi est Sophocli rotundiorem reddidisse orationem. Ita ἐξ ὑποστροφῆς cum συμπαίουσι perbene concordat; modo ne intelligatur *in flexione*, sed vere proprio sensu: *aus der Wendung heraus:* quum enim se convertere deberent, proni contra ruunt *e linea*, qua convertendum circum metam erat. Neque equi isti sextum ac septimum cursum *simul* agunt, id quod profecto non sine incantatione fiat, sed admirabili velocitate alterum post alterum. Ceterum hoc vix est, quod moneam, poëtam scribentem τελοῦντες in mente habuisse ἵπποι. — Versum 717 rectissime explanavit Hermannus. Musgravii ratio, qua „equi Aenianis cursum introrsum flectentes equorum insequentium frontibus occurrerunt," et supervacanea est et naturae rei prorsus repugnat. Equos enim aurigam secum abripientes sponte intelligitur recta solere ruere; minime omnium retro rursus se vertunt. Itaque sic potius adumbranda figura est; cui tamen ignoscant, quaeso, delineandi magistri:



Linea *a* significat currum Barcaei, linea *b* Aenianis.

V. 719 sq. Quaeri posset, cuiusmodi fuerit tandem *equestris* ista *procella* [*κλύδων ἔφιππος*], ut Sophocles *totum* hippodromon ea impletum fecerit et tamen brevi post Atheniensem praetervehentem eam. Nam unde spatium praetervectionis, si plenus fuit totus hippodromos? Equidem mihi rem ita animo effingo. Videtur Aenianis illius, quem poëta certantem inducit, tertia fere quartave statio a sinistra fuisse, sicut Barcaei tertia fere quartave a dextra. Iam quum Aenian in Barcaeum curru impingeret, necessario id spatium, quod inter utrumque patebat et quod medium ipsum hippodromi complecteretur, ruinis implebatur, atque hic si quis vel imprudentior vel nimio impetu latus equos non cohibebat, perfringebatur *fluctibus* illis *equestribus*. Hi sunt, quos Sophocles dicat *κλύδων' ἔφιππον ἐν μέσῳ κυκώμενον*. Contra ab utroque latere spatium inane duorum fere curruum relictum erat. Qui igitur cautus ac providus vel etiam longius adhuc remotus equos in tempore cohibebat, facile poterat alterutra parte hippodromi praetervehens naufragium effugere. Atque sic fecit Atheniensis, quem Sophocles propterea *δεινὸν ἡνιοστρόφον* appellat. Orestes quidem statione iam sua tutus fuit. Quem spinae et metae sorte proxime vectum esse non modo e versu 710 apparet, sed etiam hoc loco maxime confirmatur. Nisi enim a latere vectus esset, aut periisset cum aliis, aut Sophocles ipsum potius, qui esset princeps tragoediae, de medio declinavisse dixisset, quam Atheniensem, quem nominari nihil intererat. Horum quum neutrum factum sit, sequitur illi hanc in certamine isto stationem contigisse, ut declinatione non opus esset. Quam stationem e versu 710 intelligitur fuisse proximam metae, hoc est, primam omnium. Iam etiam videmus, quorsum poëta dixerit *πᾶν δ' ἐπίπλατο ναυαγίων πέδον*. Parvum enim ab utroque latere

spatium prae magno eo, quod curruum naufragia occupabant, nullo erat in numero, atque hoc *maius spatium hippodromi* nominare *totum hippodromon* permodica apud poëtas et usitata hyperbole est.

V. 722. Ἔξω παρασπᾷ est apud nos: *er riss die Rosse auf die Seite*, h. e., *deflectebat* de via, qua reliqui vecti et fracti erant. Porro ἀναχώχευε non est: *er hielt die Rosse an*, sed: *er hielt sie ein*, ita ut non consisterent equi, sed tantum lentius irent. Inest igitur in verbis ἔξω παρασπᾷ κἀναχωχεύει quoddam ὕστερον πρότερον, quod vocant. Atheniensis conspexit ex longinquo fluctus equestres in medio confusos; quare ante omnia cursum equorum reprimit, hi ut non modo non, id quod plerisque aliis certatoribus acciderat, nimio impetu ruentes naufragiis illiderentur, sed etiam ut suo tempore in obliquum flecti possent. Ita magis magisque eos inhibens deflectit de medio atque periculum prospere evadit. Παρεὶς Vitus Winshemius apud Hermannum recte interpretatur *sinit praetervehi*, hoc est, si clarius loquendum est, *praetervehitur*; poëta usus est magis poëtico.

V. 724 sq. Codicum hoc loco lectio est: ἤλαυνε δ' ἔσχατος μέν, ὑστέρας δ' ἔχων πώλους Ὀρέστης τῷ τέλει πίστιν φέρων. Solus cod. Aug. b. particulam δ' post ὑστέρας omittit. Hermannus duas explicationes affert, quae a verbis poëtae admittantur. Una, cui Monkius inprimis patrocinatur, haec est: *postremus quidem vehebatur, sed cohibebat equos, ut qui in fine spem repositam haberet.* Altera, quam Hermannus primus proposuit: *posterior quidem vehebatur Orestes, sed quum minus validos equos haberet, in fine ponens fiduciam.* Fateor me quidem neutri harum rationum penitus assentiri posse. In priore Hermannus recte notat insolentius dictum videri ὑστέρας ἔχων πώλους, „retinere equos, ut posteriores sint." Retentio equorum alienissima est ab hoc loco. In altera interpretatione cum Hermanno facio, quatenus alterum δ' servat et iungit cum verbis τῷ τέλει πίστιν φέρων: modo comma illud deleatur post Ὀρέστης, quo nihil magis supervacaneum est. Δ' qui

cum Brunckio, Erfurdtio et Schaefero exstinguit, duplicem culpam contrahit. Primum sine causa contra auctoritatem omnium, nisi unius, codicum contendit, deinde particulam istam eripit loco, qui nescio an omnium, ubi μὲν et δὲ sibi respondent, his coniunctionibus opportunissimus sit, et quo δὲ vel necessarium est et propter praecedens μὲν et propter sententiam loci. Nam ἔσχατος et τῷ τέλει πίστιν φέρων oppositionem efficiunt, qua verior vix inveniri potest. Sed recedendum mihi est ab Hermanno, si ὑστέρας ἔχων πώλους interpretatur: *quum minus validos equos haberet.* Ita ut interpretetur, facere Homerum dicit, quem imitatus sit Sophocles; apud quem Iliad. 23, 319 Nestor Antilocho filio, qui est in numero agitatorum, haec suadet:

ἀλλ' ὃς μέν θ' ἵπποισι καὶ ἅρμασιν οἷσι πεποιθὼς
ἀφραδέως ἐπὶ πολλὸν ἐλίσσεται ἔνθα καὶ ἔνθα,
ἵπποι δὲ πλανόωνται ἀνὰ δρόμον, οὐδὲ κατίσχει·
ὃς δέ κε κέρδεα εἰδῇ ἐλαύνων ἥσσονας ἵππους,
αἰεὶ τέρμ' ὁρόων στρέφει ἐγγύθεν, οὐδὲ ἕ λήθει,
ὅππως τὸ πρῶτον τανύσῃ βοέοισιν ἱμᾶσιν,
ἀλλ' ἔχει ἀσφαλέως καὶ προὔχοντα δοκεύει.

Iam vero scire velim, quaenam sint vincula, quibus hi loci inter se coniuncti sint. Ego ne similitudinem quidem invenio. Neque ἔσχατος ἐλαύνειν quisquam dicitur, neque τῷ τέλει πίστιν φέρειν. Hoc unum est, quod simile *videri* possit, quod Homerus ἥσσονας ἵππους et Sophocles ὑστέρας πώλους commemorat. Quodsi Homerici essent equi *minus validi*, tamen hinc minime consequeretur etiam Sophocleos tales esse. Atqui Homerum non de minus validis, verum de *segnibus* equis [βαρδίστοις] ac *senibus* [ἀτέμβονται νεότητος] locutum esse apparet e versibus 310 et 445, ubi de iisdem equis Antilochi sermo est. Quamquam nolo hanc rem urgere, quum facile sit ὑστέρας omnino *peiores* interpretari. Sed quaero, utrum inde, quod Homerus suo in cursu equestri equos peiores commemoret, sequatur Sophoclem etiam in suo Oresti tales dedisse. Quod fieri saltem posset, si demonstratum esset Sophoclem hoc loco imitatorem fuisse Homeri. At plane non potest fieri: contendo enim poëtam nostrum non modo non imitatum esse

Homerum, sed ne potuisse quidem imitari. Mitto, id quod iam aliquot locis notavi, quam sit ridiculum alium quemque alium imitatum esse putare, si quando pluribus poëtis similis forte materia tractanda fuit. Quasi Sophocles, qui tot divina ex ingenio suo progenuit, non sine Homero cursum equestrem describere potuerit, qui Sophoclis tempore non minus adhuc in usu fuit, quam tempore Homeri. Sed etiam inanius mihi videtur opinioni isti se dare iis locis, ubi poëtae duo in materia versantur, eadem illa quidem universo genere ac nomine, at singulis partibus ac conditionibus diversissima. Atque haec nostri causa est loci. Sophocles *sui* temporis cursum equestrem describit, *sui* Homerus. Ambae aetates quum vita ac moribus, tum vero etiam hoc genere cursus equestris magnopere discrepant. Sophocles iustum prorsus ac solemnem cursum equestrem Pythicum describit, Homerus nonnisi fortuitum, qui inter bellum Troianum Patrocli mortui occasione apparatur. Quare etiam apud Homerum simplex campus cursui pro hippodromo servire debet, quare eius heroës curribus, equis reliquisque huc pertinentibus contenti esse, quae tantum in belli usum secum duxerant, sive idonea illa essent ludis equestribus, sive non. Atque hac in re maximum cernitur materiarum discrimen, quarum in tractatione poëtae nostri versantur. Ad bellum gerendum inprimis fortes, validi ac robusti equi desiderantur, ad cursum agendum alacres, condocefacti et ad obsequia habiles. Ita fit, ut quo quis sit magis interdum idoneus ad rem militarem, eo sit minus ad ludos, et contra. Et, etiam omisso hoc, sponte intelligitur heroës graecos in bellum ingredientes non tam acerbum equorum delectum habuisse, quam proficiscentes ad ludos, quia hic in virtute equorum omnia posita erant. Itaque fieri sane poterat, ut in Homeri quidem fortuito cursu equestri ἥσσονες ἵπποι i. e. *equi peiores* invenirentur, ut Antilochi. Certissime illi bello summae utilitati erant: necessarium est enim heroëm, qualis Antilochus fuerit, celeberrimi Nestoris fortem filium, optimos huius generis equos Ilium secum duxisse. Sed, ipso Homero teste, aetate iam provectiores erant ideoque lentiores ac pigriores, quam ut immani ista pernicitate per hippodromon volare potuissent, quam certamen eque-

stre flagitabat. Antilochus quidem iis contentus esse debebat, quum alii non essent praesto. At quis tandem heros graecus tam stupendum in modum stolidus fuerit, ut proficiscens ad ludos equestres Pythicos ἥσσονας equos secum duceret, quum tamen ab equis solis gloria eius penderet. Quam inauditam stultitiam! Profecto talem heroëm nunquam nobis produxit Sophocles. Certatoribus Pythicis quisquis se miscuit, nihil aliud intendere potuit, nisi ut coronaretur, et cursu equestri qui coronari voluit, necesse fuit haberet id, quo solo continebatur victoria, optimos utilissimosque equos. Patet in Sophoclis quidem cursu equestri de equis *peioribus* sermonem esse non posse. Sophocles ea ipsa de causa Homerum imitari non potuit, quia ambo diversis in causis laborantes etiam diverso modo loquantur necesse est. Sophocles minime omnium ipsi Oresti equos *peiores* tribuere potuit, ut qui iam reliquis certaminibus splendide vicisset et qui, nisi in malum illud incidisset, evidenter etiam hoc cursu equestri victor coronatus esset. Quod autem rem conficit, v. 693 Orestes his ipsis verbis Θεσσαλὰς ἵππους *habuisse* dicitur. Equi Thessali non tantum in Graecia, sed inter omnes tunc gentes ac terras clarissimi ac nobilissimi erant, maxime propter velocitatem et alacritatem. Hinc fama artem equitandi primis a Thessalis inventam esse. Temere ac sine causa Sophocles neque Thessalos equos Oresti tribuit neque Orestis solius equos indicavit, reliquorum omittens. Et quidem sic argumentor, qua argumentatione nihil simplicius ac verius esse potest: *Sophocles Oresti Thessalos equos attribuit; Thessali equi optimi erant illius temporis: igitur Orestes optimos equos habuit. Habuit autem secundum Sophoclem Orestes solus Thessalos equos: igitur Orestes non modo non peiores, sed inter omnes istos cursores optimos equos habuit.* — Quae quum sint ita, verba ὑστέρας ἔχων πώλους aliter interpretanda sunt. Restat autem haec una via, quam Brunckius primus ingressus est, qua in his nihil inest nisi duplicatio verbi ἔσχατος. Cuius loquendi generis, quod etiam graeco vocabulo epexegesin dicunt, mille apud Graecos exempla obvia sunt. Quin etiam simillimam nostrae Brunckius exhibuit ex Eurip. Androm. 393,

ἀλλὰ τὴν ἀρχὴν ἀφεὶς
πρὸς τὴν τελευτὴν ὑστέραν οὖσαν φέρει;

Peritissime Hermannus monet praecipuam cursorum artem in eo positam fuisse, „ut quis moderatius ab initio currens ad postremos cursus integrioribus equis uteretur, quum, qui statim nimis incitassent equos suos, deinde exhaustos iam et confectos haberent.“ Eidem arti hoc loco Orestes noster studet. Qui moderatius adhuc vectus ultimus quidem erat [ὑστέρας ἔχων πώλους], sed probe sciens se ad extremum equis suis adhuc integris reliquos iam defatigatos facile anteversurum esse [τῷ τέλει πίστιν φέρων]. Hoc manet paulo insolentius, quod particula δὲ ei enunciationi inserta est, cui proprie opponitur. Tametsi scatent poëtae Graeci rebus insolentioribus, semel quoniam poëtae sunt, quorum est proprius exquisitiorum amor, tum quoniam Graeci sunt, quorum nobis non tam familiaris et expedita lingua est, ut non hoc illudve, inprimis apud poëtas, insolentius esse videatur. Ad haec particula plane legitimo loco exstat. Sed, id quod latuit doctos, hoc constat insolitum illud, quod non tantum epexegesi poëta usus est, sed paulo rariore epexegesi, interserendo ea, quae dicta iam erant, sequenti denuo enunciationi. Nam verba ὑστέρας ἔχων πώλους et τῷ τέλει πίστιν φέρων tam arcte cohaerent, ut unam enunciationem efficiant. Hoc autem quoniam poëtica conformatione poëta fecerat et quoniam particula δὲ in initio semper enunciationis collocatur, necessarium erat sic loqui: ὑστέρας δ' ἔχων πώλους τῷ τέλει πίστιν φέρων. Quod verto cum praecedentibus: *posterior quidem vehebatur, sed, licet posterior, in fine ponens fiduciam Orestes. Er fuhr zuletzt, doch er baute als letzter auf das Ende.*

V. 726. Multum hic disceptatum est, ad utrum, Orestem an Atheniensem, pertineat ὃ δέ, ad utrum *vir*. Qua in re mea sententia illud prae omnibus cognoscendum est, utri illorum utrum sensus atque res ipsa tribuat; quo facto cetera sponte patescent. Dicit Sophocles unum vidisse alterum solum relictum atque hunc persecutum esse. Atqui statim antecedente versu diserte narratur Orestem omnium *postremum* ve-

ctum esse. Prorsus necessarium est igitur esse Orestem, qui Atheniensem ut *μόνον ἐλλελειμμένον* sit persecutus, ideoque *ὃ δὲ* Orestem, *νιν* Atheniensem designare. Quod Hermannus annotat Orestem, quum Atheniensis equos suos retineret, hunc cum omni illa turba praetervectum fuisse, non possum quin pro supplemento habeam, de quo ne syllaba quidem scripta est, et quod vel sensu idoneo caret. Quin contrarium ipse poëta docet narrans v. 721 — 724 etiamtum, quum Atheniensis equos inhibitos in exteriorem partem deflexisset et turbam equestrem praetervectus esset, Orestem *ultimum* fuisse. Porro versus 731 et sequentes palam sunt accipiendi de Oreste, nec tamen pronomine saltem significatur eum, de quo nunc sermo sit, diversum esse ab eo, de quo statim ante poëta locutus sit. Hac quoque re necessarium est *ὃ δὲ* Orestem designare, *νιν* Atheniensem. Ac revera nihil fit magis natura rei. Tantum pro *νιν* exspectaveris forsan *ἐκεῖνον*. Quamquam id nihil offensionis habet, praesertim quum versus 724 et 725 quodammodo per parenthesin dicti esse videantur. Etiam latine dicimus: *Atheniensis evitabat turbam equestrem. Orestes autem postremus vehebatur; qui quum eum solum relictum cerneret, persequebatur.*

§. 14.

V. 1273 sqq. Electra invento fratre inclamat:

ἔκλυον ἆν ἐγὼ οὐδ' ἂν ἤλπισ' αὐδάν.
ἔσχον ὀργὰν
ἄνανδον, οὐδὲ σὺν βοᾷ, κλύουσα
τάλαινα· νῦν δ' ἔχω σε·

Haec est omnium librorum scriptura. Quae est servanda, quamdiu sensus permutationem non poscit. Posci hanc censet Hermannus, sed debiliore mea sententia fundamento nisus, quam quod subduci non possit. Nam dicit plura ante *ἔσχον ὀργὰν* verba excidisse, quia luce sit clarius *αὐδὰν* non de nuncio, quo mortuus dictus esset Orestes, sed de voce ipsa versi intelligi debere, atque tum nexus verborum *ἔσχον ὀργὰν* cum praecedentibus nullus sit. At luce illud clarius esse non

tantum vehementer dubito, sed habeo quoque, quae contrarium approbent. Primum sequens illud *νῦν δ' ἔχω σε* aperte indicat tempus, quo ipsum referatur, diversum esse ab eo, de quo ante sermo fuerat. Atqui nunc dicitur de *praesenti* tempore, et vero etiam praecedunt aoristi *ἔκλυον* et *ἔσχον*. Necesse est igitur ante de *praeterito* tempore dictum esse. Deinde: est hic exeundi ratio ea, ut alteram tantum antecedentium partem ad praeteritum tempus referamus, priorem ad praesens. Et quidem hanc viam plerique interpretes iniverunt verba *ἔκλυον ἂν ἐγὼ οὐδ' ἂν ἤλπισ' αὐδὰν* cum Hermanno de ipsa Orestis voce modo reversi intelligentes, reliqua usque ad *νῦν δ' ἔχω σε* de illo tempore, ubi Electra mortuum esse fratrem crediderat. At huic viae repugnat tum aoristus *ἔκλυον*, cuius loco certe perfectum positum esse deberet, tum ipse sensus. Nam recte hoc Hermannus, si ista *αὐδὴ* Orestis vox sit, verba *ἔσχον ὀργάν* et quae sequantur, nullo modo posse intelligi. Quid est enim, quod *κλύουσα* fuit Electra? Orestis mors. At de ea ne verbum quidem; et quis homo volet eam suppleri. Haec impedimenta omnia tolluntur, si *αὐδὰν* cum *κλύουσα* iungimus et totam usque ad *νῦν δ' ἔχω σε* sententiam de *nuncio* intelligimus, *quo mortuus Orestes dictus est.* In quo quidnam est insolentis, ut factum non esse luce sit clarius? *Αὐδήν* quidem significare *nuncium* negari non potest. Est omnino *vox;* hinc etiam nunciantis vox i. e. *nuncius.* Obvia haec vis V. C. in Nostri Oed. Col. 240, *πατέρα τόνδ' ἐμὸν οὐκ ἀνέτλατ' ἔργων ἀκόντων αἴοντες αὐδάν.* Eur. Suppl. 600, *τίν' αὐδὰν τάνδε προσφέρεις νέαν;* Sed *ἐλπίζειν* estne *metuere?* Hic Hermannus ad Aiac. 786: „correctione nihil opus, modo recte locus intelligatur, neque quis ad inepta illa confugiat, ut *ἐλπίζειν* etiam *metuere* significare velit. Non enim ubique, sed ubi aptum est, ita hoc verbum ponitur, ut de metu possit dictum videri, etsi revera de spe est accipiendum." Quibus quid faciam, nescio. Nam loci, ubi *ἐλπίζειν* non potest non explicari *metuere,* atque omnem spei notionem res ipsa excludit, solis e Sophocle, Euripide et Homero hi sunt in promtu: Soph. Trach. 111, *πυνθάνομαι τὴν Δηϊάνειραν οὔποτ' εὐνάζειν κακὰν δύστανον ἐλπίζουσαν αἶσαν.* Eur. Ion. 351, *θῆ-*

ράς σφε τὸν δύστηνον ἐλπίζει κτανεῖν. Suppl. 792, τὸ μὲν γὰρ οὐκ ἤλπιζον ἂν πεπονθέναι πάθος περισσὸν, εἰ γάμων ἀπεζύγην. Herc. fur. 728, πάλιν ἔμολεν, ἃ πάρος οὔποτε ἤλπισεν παθεῖν γῆς ἄναξ. Hom. Iliad. 14, 110, ἤδη γὰρ νῦν ἔλπομ' Ἀρηΐ γε πῆμα τετύχθαι. Iam in Aiacis loco, τήνδε δ' ἔξοδον ὀλεθρίαν Αἴαντος ἐλπίζει φέρειν, Hermannus sic explicat: quum dicat nuncius, *sperat Teucer se hunc Aiacis exitum funestum nunciaturum esse*, eum hoc velle, *sperare* Teucrum se, si exitum istum funestum fore nunciet, effecturum, ut retentus in tentorio eo die servetur Aiax. Quae explicatio quum omnino subtilior videatur esse, quam verior, tum duabus aliis de causis admitti vix potest. Primum est subabsurdum *sperare* Teucrum, se nuncio suo Aiacem in tentorio retenturum esse: nam ponere debebat, id quod revera factum esse videmus, illum iam exiisse, et posuisse eum hoc docet v. 781. Tantum hoc poterat *sperare* Teucer, se retenturum esse fratrem, si nondum egressus sit. An etiam subtiliores, vel potius ridiculi, esse volumus interpretantes locum: *sperat Aiacem* nondum egressum fore atque tum *nuncio se hoc funesto* eum retenturum esse? Deinde hoc loco utique ad haec duo respondendum erat: ποῦ ἔστι Τεῦκρος; et ἐπὶ τῷ λέγει τάδε; i. e. *cur iubet Aiacem in tentorio retineri:* sic enim interrogat Tecmessa. Ad prius recte respondetur: πάρεστ' ἐκεῖνος ἄρτι, ad alterum vero plane non est responsum illud, quod vult Hermannus hoc loco dici: *sperat Teucer se nuncio suo Aiacem in tentorio retenturum esse.* Potius tale quid dici necesse est: *metuit Teucer, ne iste exitus fratri funestus sit.* Et quidem hoc ipsum facile assequimur, si, id quod paene quotidianum est apud Graecos, duas hic constructiones in unam iunctas esse statuimus: ἐλπίζει τήνδε ἔξοδον Αἴαντος ὀλεθρίαν εἶναι, et ἐλπίζει τήνδε ἔξοδον Αἴαντι ὄλεθρον φέρειν. Aliud quidquam poëta dicere nequivit. Itaque huic quoque loco significatio *metuendi* manet. Haec autem tot tamque firma exempla quid docent? Docent probatam exploratamque esse vim *metuendi* vocabuli ἐλπίζειν. Atque hoc ita esse nihilminus mirandum est. Significat enim ἐλπίζειν sive eius antiquiore forma ἔλπεσθαι in universum *exspectare.* Sic usurpatum est apud

Eurip. Heracl. 150, *οὐ γὰρ φρενήρη γ' ὄντα σ' ἐλπίζουσί που μόνον τοσαύτης Ἑλλάδος τὰς τῶνδ' ἀβούλους ξυμφορὰς κατοικτεῖν.* Iam si, quod exspectatur, bonum est, *speratur*, si malum, *metuitur*; ita ut, qui neget ἐλπίζειν significare *metuere*, malum quid exspectari posse neget. Pari modo Latinorum *sperare* saepe vim metuendi habet, ut apud Cic. Fam. V, 1, *te tam mobili in me meosque animo fore non sperabam.* Orat. III, 13, *quoniam haec satis spero vobis quidem, certe maioribus natu, molesta et putida videri* *).

Quae quum sint ita, profecto non video, quid trepidemus nostro quoque in loco vocabulo ἐλπίζειν *metuendi* significationem tribuere. Nunc etiam sequentia optimam explicationem habent. *Κλύουσα τάλαινα* spectat ad *αὐδάν* illam i. e. nuncium, quo de Orestis morte certior Electra facta est. Eum audientem se dicit tanto dolore affectam esse, ut vox sibi praeclusa fuerit. *Ἄναυδον* et *οὐδὲ σὺν βοᾷ* autem posita sunt *ἐκ παραλλήλου*. Ad rationem grammaticam satis erat *ἄναυδον*, ad poëticam vel rhetoricam optime additum est *οὐδὲ σὺν βοᾷ*. Quid denique de ipsa sententia dicam? quae si hic sola ageretur, ob eam solam haec nostra explicatio omnes alias antecederet. Nam ecquid aptius est, quam, definita tandem fortuna, quam, fratre tandem reverso atque nunquam sororem se deserturum esse pollicito, Electram placato animo quasi summam fatorum suorum indicare atque praesentem prosperam conditionem cum priore infelici componere? Apparet nunc autem versionem Brunckii, nisi quod liberiorem, esse rectissimam. Quae sic potius amputanda est: *o amicae, audiveram, quam ego nunquam exspectavissem* s. *metuissem nuncium: dolor me cepit vocem lamentaque praecludens, quum eum audirem. At nunc te habeo.*

Metrum quum sit incertum, e certis verbis constituendum est, non, ut constituatur metrum, corrigenda verba. Itaque nolim post *ἔκλυον* inserere *ἄρ'* et scribere *κλύουσα ἃ τάλαινα*. Videtur totum systema sic disponendum esse:

---

*) Cf. Virg. Aen.. I, 547. IV, 292. 419. XI, 275. Flor. III, 1, 1. Iuven. 4, 57.

ὦ φίλαι, ἔκλυον
ἂν ἐγὼ οὐδ' ἂν ἤλπισ' αὐδάν.
ἔσχον ὀργὰν ἄναυδον, οὐδὲ
σὺν βοᾷ, κλύουσα τάλαινα.
νῦν δ' ἔχω σε·
προὐφάνης δὲ φιλτάταν ἔ-
χων πρόσοψιν, ἧς ἐγὼ οὐδ' ἂν
ἐν κακοῖς λαθοίμαν.

Caput V.

TRACHINIAE.

§. 15.

V. 83 sqq. Deïanira Hyllum filium auxilio mittit Herculi his verbis:

οὐκ εἶ ξυνέρξων, ἡνίκ' ἢ σεσώσμεθα,
ἢ πίπτομεν, σοῦ πατρὸς ἐξολωλότος,
κείνου βίον σώσαντος, ἢ οἰχόμεσθ' ἅμα;.

Sic libri. Duplici Trachiniarum recensioni, quam Hermannus sibi persuadet, quum omnino non multum tribuam, tum ex hoc loco cognosci eam nondum puto. Perversissimum nunc esse totum sententiae ordinem quivis intelligit. Sed num inde sequitur ab altera aliqua fabulae recensione venisse, quae perversitatem istam efficiunt? Ita haberemus omnium veterum scriptorum duplicem recensionem: nullum est enim similium vitiorum expers. Sequitur illinc nihil aliud nisi locum corruptum esse, aut confusis poëtae verbis aut depravatis, aut alienis additis. Et quidem locum nostrum diligenter inspicienti statim in oculos incurrit verba eius sententiae poëtae optime convenire, sed mixta esse ac turbata, quae interno vinculo arctissime coniuncta sunt. Itaque Canterus, mutato ἢ ante πίπτομεν in καὶ, hanc transpositionem, qua nihil verius, instituit:

ἡνίκ' ἢ σεσώσμεθα,
κείνου βίον σώσαντος, ἢ οἰχόμεσθ' ἅμα
καὶ πίπτομεν, σοῦ πατρὸς ἐξολωλότος;

Iure hanc viam Brunckius, Musgravius, Schaeferus, Erfurdtius secuti sunt. Quam enim facile confundi versus isti potuerint, ostendunt exempla huius generis infinita, atque concedet, qui animaduerterit, quam crebro nobis omnibus in describendo idem obrepat; etsi nemo nostratium imprudentior ac negligentior esse potest librariis istis. Satis est autem illa iam ita dicta esse,

ut essent minus bene, si quid deficeret. Neque opus est duplici fabulae recensione, cui ne convenit quidem natura rei. Nam neque veri simile est poëtam prima manu sola edidisse ἡνίκ' ἢ σεσώμεθα, ἢ πίπτομεν, σοῦ πατρὸς ἐξολωλότος, neque haec tamen scripta altera manu sic correxisse ἡνίκ' ἢ σεσώσμεθα, κείνου βίον σώσαντος, ἢ οἰχόμεσθ' ἅμα. Priora essent tenuiora ac minus concinna, quam ut pro Sophocleis possent haberi, correctio in minutiis posita esset, quibus magis depravasset, quam emendasset priora Sophocles. Quod enim Hermannus dicit de Deïanira minus grave verbum fuisse πίπτομεν, de Hercule autem nimis grave ἐξολωλότος: fateor mihi haec paulo quaesitiora videri. Πίπτομεν ut sit minus grave verbum, quod non est: quid verbi gravitas ad Deïaniram? ut vero nimis grave ἐξολωλότος: quid Herculi magno ac gravi aptius gravi verbo, ut magnitudini Herculis Herculea mors accommodetur? An Schillerus male de Wallensteinio cecinit:

Denn dieser Königliche wenn er fällt,
Wird eine Welt im Sturze mit sich reissen.

Itaque sic potius statuendum est, Sophoclem statim initio edidisse ea, quae sunt rectissima et optima, dico coniuncta illa una continuatione:

ἡνίκ' ἢ σεσώσμεθα,
κείνου βίον σώσαντος, ἢ οἰχόμεσθ' ἅμα
καὶ πίπτομεν, σοῦ πατρὸς ἐξολωλότος;

Adiungo statim versus 88 et 89, quos ipsos quoque Hermannus ad duplicem istam recensionem reduxit. Sane corruptus est locus, sicut a libris omnibus exhibetur:

νῦν δ' ὁ ξυνήθης πότμος οὐκ ἐᾷ πατρὸς
ἡμᾶς προταρβεῖν, οὐδὲ δειμαίνειν ἄγαν.
νῦν δ', ὡς ξυνίημ', οὐδὲν ἐλλείψω τὸ μὴ
πᾶσαν πυθέσθαι τῶνδ' ἀλήθειαν πέρι.

Brunckius duos priores versus post alteros duos transposuit, sed sine necessitate neque ad orationis perpetuitatem attendens. Illi enim priores sensu arctius cohaerent cum iis, quae apud Sophoclem praecedunt, quam ut divelli ab iis queant. Contra iidem male cohaererent cum iis, quae Deïanira respondet: χώρει νυν, ὦ παῖ, quae multo rectius cum illis coniuncta, ma-

nent: *οὐδὲν ἐλλείψω τὸ μὴ πᾶσαν πυθέσθαι ἀλήθειαν.* Nihil mutandum est, nisi quod Vauvillersius, Hermannus et Billerbeckius ingeniosissime mutavere et quod etiam Erfurdtius recepit, *ἐᾷ* in *εἴα*, deinde, quod Brunckius primus fecit, *τὸ μὴ* in *τὸ μὴ οὐ*. Quo facto, habemus sententiam omnibus modis rectam et concinnam: *si scissem illud oraculum, pridem adessem: sed consueta patris fortuna metuere me non sinebat. Jam vero audito illo non cunctabor rem indagare.* Repetitum *νῦν δὲ*, in quo Hermannus praecipue haeret, plane non offendebat Graecos, apud quos ambo valde diversa sunt. Prius est: *quae quum non ita sint* i. e. quum oraculum nescirem, nostrum cum vi pronunciatum *so*, latinum *atqui*; alterum est mere temporale *jetzt*. Iam vero quaero, quaenam vel minima causa adsit, cur versus 88 et 89 e prima aliqua Trachiniarum editione restitisse arbitremur. Potius, quoquo te vertas, id ne verisimile est quidem. Primum si Sophocles in editione prima Hylli orationem duobus illis versibus finiisset, inepte hos excepissent Deïanirae verba *χώρει νυν, ὦ παῖ*, quibus contra egregie excipiuntur versus 90 et 91 *νῦν δ', ὡς ξυνίημι'* etc. Et tamen non est credibile poëtam in prima editione ordinem sententiarum neglexisse. Deinde si Sophocles in editione altera versus 88 et 89 delevisset substituens duos, qui vulgo sequuntur, fecisset hoc non tantum sine ulla necessitate, sed etiam male. Nam quod Hermannus observat facere istos versus, ut Hyllus parum sollicitus de patre esse videatur: equidem potius contrarium sentio. Visus iam erat parum sollicitus tum ipso facto tum verbis Deïanirae v. 65 et 66,

σὲ, πατρὸς οὕτω δαρὸν ἐξεπωμένον,
τὸ μὴ πυθέσθαι ποῦ 'στιν αἰσχύνην φέρει,

ita ut versibus 88 et 89 magis videri non posset. Contra, etiamsi Hylli audax ista roboris Herculei atque fortunae confisio nec se nec patre ita indigna erat, tamen hanc ipsam causam, cur parum sollicitus fuerit, proponere debebat, ut ne neglectio patris in causa esse videretur. Proponit autem hanc causam verbis: *ὁ ξυνήθης πότμος οὐκ εἴα πατρὸς ἡμᾶς προταρβεῖν, οὐδὲ δειμαίνειν ἄγαν.* Atque his, si quis nimiam Hylli erga suos securitatem aegre tulisset, facile reconciliatur. Quare vix

Sophocles hos versus et solos habuit in prima aliqua editione et delevit in altera, sed habuit nimirum omnia coniuncta ita, uti nunc sunt. Et tantum abest, ut versus 88 et 89 argumento esse queant duplicis Trachiniarum recensionis, ut, si talem unquam exstitisse certum esset, ne tum quidem eo referri iure possent.

De his duobus locis nuper vir doctus Capellmannus, partim subtiliter partim minus, disputavit in *Allgem. Schulz.* 1831, *Febr. N.* 24, 25. Qui recte quidem hoc vidit, nec posse nec potuisse a Sophocle poni hoc dilemma: ἡνίκ' ἢ σεσώσμεθα, ἢ πίπτομεν, σοῦ πατρὸς ἐξολωλότος. Sed lepidum est, quibus artificiis usus sit, ut versum ἢ πίπτομεν etc. spurium esse demonstraret. Dicit enim de verbis οἴχεσθαι et ἅμα: *Beides kann einem, auch das Eine dem einen, das Andere einem andern Kommentator aufgefallen sein. Deshalb hat der eine* ἢ οἰχόμεσθ' *durch* ἢ πίπτομεν *und der andere oder auch derselbe das kurze* ἅμα *durch* σοῦ πατρὸς ἐξολωλότος *erklärt, und diese Erklärungen sind entweder zufällig oder absichtlich durch gelehrte Spielerei zu einem Verse verbunden worden, der später mit in den Text gekommen ist.* Profecto hoc modo omnia sub sole fieri possunt. Versus iste, si quidquam, sincerus est; nisi vero male dictum esset: *da wir entweder gerettet sind, wenn jener sein Leben rettet, oder mit ihm verderben und untergehn, wenn dein Vater untergeht.* In altero loco iure negat Capellmannus priores duos versus a posterioribus divelli posse. Neque sunt contemnenda, quae de repetito νῦν δὲ monet, atque exempla, quae hanc in rem affert ex Aristoph. Thesmoph. 426—28, 450—53, 255—256. Sed errat, quod dicit praesens ἐᾷ hic suo loco esse, quia sermo sit de re, quam adhuc semper credidisset Hyllus. Hac ipsa de causa, quod *adhuc* eam crediderat, *iam* vero oraculum eius mentem mutaverat, imperfectum εἴα ponendum est.

§. 16.

V. 204 sqq. Chorus Hercule redeunte haec iubet:

Ἀνολολύξατε δόμοις
ἑφεστίοις ἀλαλαῖς
ὁ μελλόννυμφος· ἓν δὲ κοινὸς ἀρσένων

ἴτω κλαγγὰ τὸν εὐφαρέτραν
Ἀπόλλωνα προστάταν,
ὁμοῦ δὲ παῖανα, παῖανα
ἀνάγετ', ὦ παρθένοι,
βοᾶτε τὸν ὁμόσπορον
Ἄρτεμιν — —

Sic interpungendum est: videntur haec enim non recte ab editoribus intellecta et distincta esse. Universa sententia est: *exsultate domi vos, quisquis nubilis est: et quidem iuvenes Apollinem, virgines Dianam concelebranto.* Ἀνολολύξατε ὁ μελλόνυμφος generatim dicitur: *exsultate vos, adolescentia* i. e. et iuvenes et virgines, non solae virgines, ut Herm. putat. Quare editiones veteres, etiam Tricliniana recensio recte plenius interpungunt post μελλόνυμφος. Sed accuratius illud definitur sequentibus, ubi, sicut fas est, iuvenibus Apollo, virginibus Diana celebranda tribuitur. Opponuntur igitur ἀρσένων et ὦ παρθένοι, Ἀπόλλωνα et Ἄρτεμιν. Praeterea iungendum, id quod etiam Hermannus probat: ἀρσένων ἴτω κλαγγὰ τὸν Ἀπόλλωνα. Fecit poëta constructionem ex iis, quae cogitavit, ut fit creberrime apud Graecos. Cogitavit autem tale quid, ἄρσενες κλαζόντων seu ὑμνούντων ideoque adiunxit accusativum τὸν Ἀπόλλωνα. Hac ratione dicitur δορυφορεῖν τινα, quia cogitabatur φυλάσσειν, τύπτεσθαι vel κόπτεσθαί τινα, quia cogitabatur οἰκτείρειν, et permulta alia. Denique recte Hermannus et Seidlerus coniungunt: παῖανα ἀνάγετ' Ἄρτεμιν. Scilicet hae duae sententiae confusae sunt: παῖανα ἀνάγετε vel βοᾶτε Ἀρτέμιδος, et, παῖανι ἀνάγετε Ἄρτεμιν. Praeclare huc quadrat eiusdem generis exemplum ex Euripidis Herc. fur. 675, παῖανα ὑμνοῦσι τὸν Λατοῦς γόνον. Vid. Matth. ad. Eur. Hec. 383.

Addo statim versum 237, ubi Hermannus cum duobus codd., edit. Iunt. 2, Turn. Steph. Cant. Eustath. ad Iliad. κ, p. 789, 17 [702, 50] et cum Erfurdtio legit:

ὁρίζεται
βωμοὺς τέλη τ' ἔγκαρπα Κηναίῳ Διΐ —

explicaus τέλη cum Harpocratione προσόδους. Sed est haec tam rara vel potius aliena verbi significatio, ut nisi alio aliquo modo

explicari potest τέλη, haec lectio parum probabilitatis habeat. Potest autem aliter etiam minus explicari. Videamus igitur alteram scripturam, quae est in codd. F. Harl., in Ald. Iunt. 1, Brubb. Turn., et quam Brunckius et Schaeferus servant: τελεῖ τ' ἔγκαρπα. Herculem quidem Iovi sacra fecisse Oechalia capta, licet Hermanno mirum videatur, certum est tamen primum e v. 286 sq.

αὐτὸν δ' ἐκεῖνον, εἴτ' ἂν ἁγνὰ θύματα
ῥέξῃ πατρῴῳ Ζηνὶ τῆς ἁλώσεως,
φρόνει νιν ὡς ἥξοντα,

dein e versu 655 sq.

νασιῶτιν ἑστίαν ἀμείψας,
ἔνθα κλῄζεται θυτήρ,

e v. 989 sqq.

ὦ Κηναία κρηπὶς βωμῶν
ἱερῶν, οἵαν οἵων ἐπί μοι
μελέῳ χάριν ἠνύσω,

denique e versibus 239 et 240, ubi dicitur Hercules εὐκταῖα persolvisse propter captam Oechaliam. Atqui, ut τιμητικὰ sunt *sacrificia*, quibus quis Diis reverentiam suam testabatur, χαριστήρια *sacrificia*, quibus quis gratias iis referebat, et sic porro, item εὐκταῖα sunt *sacrificia*, quae quis Diis voverat, si, quod optaret, prospere successisset. Ita Hercules Iovi sacrificia spoponderat, si Oechalia prospere expugnata foret: quo nunc facto, illa persolvit. Solebant autem veteres Graeci, quum in itinere sacrificandum esset, non tantum aram simul, quam eo consilio exstruxerant, sed etiam totum locum, ubi istam exstruxerant, Deo suo consecrare. Qui locus aut, id quod plerumque, revera lucus erat, aut, si minus erat, tamen, si modo locus sacer, lucus appellabatur [cf. Strab. Geogr. L. 9]. Ita in nostro loco: Hercules iam urbe capta votum suum persolvit et Iovi frugum primitias offerens [τελεῖ ἔγκαρπα] simul et aram [βωμοὺς] et lucum [τεμενίαν φυλλάδα v. 751], ubi facit sacra, dedicat. Et quidem tam certa est illa sacrificatio Herculis, ut, etiamsi non versus isti, quos nominavi, gravissimo eius testimonio essent, tamen per se ea non posset non facta fuisse. Nam aram quidem Herculem Iovi dedicavisse

clarissimis verbis scriptum est. Si autem aram dedicavisset sine sacrificatione, perinde fuisset ac si quis hospiti mensam apponeret inanem ac sine cibis. Etiam Triclinius hanc necessitatem sensit, quum, licet τέλη in textu habens, haec dedit scholia: τέλη, θυσίας, ἔγκαρπα δὲ, θυμιάματα τὰ ἀπὸ ἀνθῶν ἢ καρπῶν. Tamen τέλη neque est θυσίας, neque, si esset, posset coniungi cum ὁρίζεται. Sed vitium Vir bonus non animadvertit. Quid est enim apertius ex iis, quae disputavi, quam τέλη corruptum esse atque veram scripturam esse τελεῖ?

§. 17.

V. 329 sq. Deïanira de capta Iola:

μηδὲ πρὸς κακοῖς
τοῖς οὖσι λύπην πρός γ' ἐμοῦ λύπης λάβοι·

Non intellexerunt haec viri docti. Itaque Reiskius coniecit: τοῖς οὖσι τὸ πρὶν πρός γ' ἐμοῦ λύπην λάβοι, Schaeferus: τοῖς οὖσι πρόσθε πρός γ' ἐμοῦ etc., Hermannus, quem Erfurdtius sequitur: τοῖς οὖσι λύπην πρός γ' ἐμοῦ λάβοι τινὰ, et, his damnatis, post: τοῖς οὖσι λύπην πρός γ' ἐμοῦ λύπῃ λάβοι. Quae omnia facta sunt sine necessitate. Recte libri uno consensu tenent λύπην — λύπης. Nam quum Lichas Iolae taciturnitatem notaverit, at tamen ei ignoscendum esse addiderit, Deïanira ita pergit: *sinatur sane taciturna, uti ei suavissimum, neve, quae est iam satis misera, insuper a me moerore propter moerorem suum afficiatur. Moerorem* poëta posuit pro *taciturnitate*, quia *moeror* hanc ipsam efficit et quia maluit uti lusu verborum: λύπην — λύπης.

Iungo his paucis versus 376 et 77, ubi ab Hermanno dissentio distinguente:

λαθραῖον; ὦ δύστηνος, ἆρ' ἀνώνυμος
πέφυκεν, ὥσπερ ὑπάγων διώμνυτο;

et vertente: *me miseram, ignotane ergo erat, ut iste deiurabat?* Pono enim hunc esse verborum sensum, qui non est, tamen, quod Lichas, quae ista puella esset, nescire se simulaverat, profecto non est eiusmodi ut Deïanira propterea possit inclamare: *me miseram.* Est hoc tantum, quod indignetur; nec tamen indignabundus miserum se proclamat, sed ipse miser.

Atqui sane misera erat Deïanira hac in re, quod puellam domi exceperat adamatam ab Hercule. Itaque luce est clarius iungenda esse:

τίν' εἰσδέδεγμαι πημονὴν ὑπόστεγον
λαθραῖον, ὦ δύστηνος;

Sed ne illud quidem crediderim, verbis ἆρ' ἀνώνυμος πέφυκεν indignationem istam Deïanirae exprimi, quam vult Hermannus. Neque etiam consentaneum est Deïaniram de calamitate sua repente certiorem factam de Licha potius cogitavisse, quam aut de se aut de ea, quae causa totius mali erat, Iola. Sed est illa mera et simplex interrogatio: *itane ignota est?* Zelotypis nemo magis minima quaeque exquirendi cupidus; et si Deïanira iam ante, quam cognovisset Iolam, et ex ipsa et ex Licha nomen eius quaesiverat, manifestum est, quanto maiore cum studio nunc aucupaverit illud, postquam eandem amatam esse ab Hercule audiverit. Itaque sane nomen puellae scire cupit Deïanira, cui iam nuncius respondet: *immo vero Iola nominata est, quia splendet forma et genere.* Ἰόλη descendit ab ἴον estque Latinorum *viola*. Splendor autem formae et generis in causa est, cur *Iola* illa vocata sit. Quod si vidisset Capellmannus et si considerasset zelotypos omnium maxime cavere, ne de rivalium formositate loquantur, non tribuisset versum 378 Deïanirae hoc modo:

ὦ δύστηνος, ἆρ' ἀνώνυμος
πέφυκεν, ὥσπερ ὀὐπάγων διώμνυτο,
ἢ κάρτα λαμπρὰ καὶ κατ' ὄμμα καὶ φύσιν;

§. 18.

V. 520 sqq. Chorus pugnam exponens, quam propter Deïaniram Hercules et Achelous commiserant:

ἃ δ' εὐῶπις ἁβρὰ
τηλαυγεῖ παρ' ὄχθῳ
ἧστο τὸν ὃν προσμένουσ' ἀκοίταν·
ἐγὼ δὲ μάτηρ μὲν οἷα φράζω·
τὸ δ' ἀμφινείκητον ὄμμα νύμφας
ἐλεινὸν ἀμμένει·

κἀπὸ ματρὸς ἄφαρ βέβακεν, ὥστε
πόρτις ἐρήμα.

Bentleius versum 523 corruptum esse iudicat. Hermannus versum 523—525 ex altera Trachiniarum recensione venisse putat eosque uncis inclusit ut alienos ab hac tragoedia. Mihi fatendum est me non modo non intelligere, cur sit corruptus locus, sed etiam habere, quomodo commode explicari queat. Heathius quidem et Brunckius et plerique alii editores interpretati sunt locum, quasi scriptum sit: ἐγὼ δὲ φράζω, οἷα μάτηρ ἔφρασεν, *narro, quae narravit mater.* At esset hoc omnium, quae cogitari possunt, miserrimum et languidissimum, quod Capellmannus gratae ingenuitatis nomine frustra defendit. Quid enim attinet matrem sic narravisse? et cur haec ipsa a matre narrata esse dicuntur, reliqua non dicuntur? Haec igitur si una fuisset explicandi ratio, iure hunc locum corruptum habuissent docti. Sed praesto est alia, quam scholiastes quoque vidit, cuius sunt haec ad eundem locum verba: ἐγὼ, φησίν, ἐνδιαθέτως ὡςεὶ μήτηρ λέγω. De hac sententia quod dicit Hermannus, nihil fingi ineptius posse, ita dubito an sit verum, ut non dubitem, quin sit verissima haec scholiastae explicatio. Chorus constat ex mulieribus. Has iam per se consentaneum est, quum de alia sibi coniuncta muliere narrent, laetum quid narrantes una laetari, triste quid, una dolere. Et quidem Deïanira non modo coniunctissima erat istis mulieribus, sed etiam, quod ab his narratur, satis triste fuisse, ex parte ipsius verba testantur; cf. v. 9—25. Itaque Chorus Deïanirae aegritudinem narrans ipse quoque aegritudine movetur. Potest autem tali occasione nemo cum nemine magis dolere, quam mater cum filia. Itaque aptissime Trachiniae suam ipsarum cum matris aegritudine comparant dicentes: *loquor ego, quasi sim mater* i. e. dicens haec animo materno moveor. In quo quid est tandem ineptum? Ac dictum hoc esse a poëta confirmat ipsa huius loci oratio. Nam molliore animo affectae mulieres etiam orationis genere molliore utuntur. Tenendum est autem hanc sententiam positam esse per parenthesin. Quo minus debet offendere illa eiusdem rei iteratio quaedam verbis ἃ δ' εὐθῶπις ἦστο τὸν ὃν προσμένουσ' ἀκοίταν, et, τὸ δ' ὄμμα νύμφας ἀμιέναι. Quod

tautologiae genus quum iam ita defendi potest, ut omnino res praecipue graves ac memorabiles bis promi soleant, tum etiam maiorem excusationem habet a parenthesi. His enim, τὸ δ' ἀμφινείκ. ὅμμα νύμφας ἀμμένει filum sermonis aliquamdiu praecisum rursus connectitur. Confer perbene de hac tautologia disputantem Capellmannum. Apparet hunc locum nondum pro corrupto habendum esse. Multo minus autem causam ullam deprehendere possum, cur tres illi versus, quos nominavi, ex altera aliqua Trachiniarum recensione manaverint. Hermannus quidem huc numerat primum, quod illud scholion, ἐγὼ παρεῖσα τὰ πολλὰ τὰ τέλη λέγω τῶν πραγμάτων non iis, quae de Deïanira dixerit Chorus, sed descriptioni pugnae apte adiungatur. At nititur ea res sola huius scholii auctoritate: cui quis iubet nos tandem confidere? Imo hoc scholion, quomodocunque huc aberraverit, alienissimum esse quum aliunde et maxime ex ipsis poëtae verbis patet, tum illa ipsa, quam affert Hermannus, res novo est testimonio. Deinde huc refert Vir Ill. repetitionem istam quandam, de qua dixi. Clarum est autem ex iis, quae monui, neque hac duplicem huius fabulae recensionem ullo modo probari.

§. 19.

V. 657 sqq. Chorus de Hercule redituro, sed in Cenaeo promontorio adhuc sacrificante:

ὅθεν μόλοι πανάμερος,
τᾶς πειθοῦς παγχρίστῳ
συγκραθεὶς ἐπὶ προφάσει θηρός.

Dissentiunt sibi interpretes, quid sit πανάμερος. Wakefieldus, Mudgius et Heathius anglico consensu scribendum putant πανίμερος. Hermannus olim coniecerat derivandum illud esse ab ἥμερος, *mitis*, *blandus*, scholiastam secutus, qui: πανάμερος, εὐμενὴς ἐν τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἔλθοι [sic] εἰς ἔρωτα τῆς γυναικός. Sed in novissima editione alteram vocis derivationem tenens tribuit ei notionem: πάντως τῇδε ἡμέρᾳ. Nec multum aliter videtur scholiastes sensisse, qui scribit: πανάμερος, ἀντὶ τοῦ, τὴν σήμερον ἡμέραν ἔλθοι. Tamen qui haec notio in voce ista inesse possit, deus sciat. Quae

vox etiamsi non semper putanda est significare *totum per diem*, sed etiam simplicius *per diem* seu *die*, tamen neque fit unquam neque potest mea sententia fieri, ut παν sit pro πάντως et ημερος pro τῇδε τῇ ἡμέρᾳ. Quaeritur, an non consueta significatione sumi possit, id quod aio. Πανήμερος seu πανημέριος est, qui *per totum diem* aliquid facit, sicut πάννυχος seu παννύχιος, qui *per totam noctem* aliquid facit. Sic πανημερίη νηῦς Hom. Odyss. 4, 356 est *navis totum per diem navigans*, πανημέριος χρόνος Eur. Hippol. 369 *tempus totum per diem durans;* item παννύχιοι ἄνεμοι sunt *venti totam per noctem flantes* Hom. Il. 23, 217, παννύχιοι χόροι, *choreae totam per noctem durantes* Soph. Ant. 153. Porro Hom. Iliad. 11, 279, οὐκ ἐμὲ Ζεὺς εἴασε πανημέριον πολεμίζειν, *Iupiter non sivit me continuo dimicare*, et Soph. Ant. 1183, αἵ σε πάννυχοι χορεύουσι, *quae* [Bacchae] *te totam per noctem* seu *continuo choreis celebrant.* Iam quid est clarius ac facilius, quam μόλοι πανάμερος esse *veniat* seu *proficiscatur per totum diem* i. e. continuo, sine mora veniat. Habemus nunc sensum non modo usui vocabuli accommodatissimum, sed etiam sententiae loci maxime convenientem. Quid enim melius cupiditatem istam exprimit, qua Hercules a Trachiniis exspectatur, quam vox πανάμερος. Itaque recte Solgerus: *den ganzen Tag durch eil' er her*, et Brunckius: *adveniat toto properans die.* Hoc cogitasse Sophoclem egregie confirmant, quae praecedunt: μὴ σταίη πολύκωπον ὄχημα ναὸς αὐτῷ, πρὶν τάνδε πρὸς πόλιν ἀνύσειε. Quod affirmative expressum est μόλοι πανάμερος.

Transeo ad proxima: τὰς πειθοῦς παγχρίστῳ συγκραθεὶς ἐπὶ προφάσει θηρός. Scholiastes ille, qui prioribus adscripsit: εὐμενὴς ἔλθοι εἰς ἔρωτα τῆς γυναικὸς, διὰ τὸ τοῦ Νέσσου φάρμακον, videtur etiam hic Hermannum induxisse, ut coniiceret olim: οἷς πόθοις παγχρίστῳ συγκριθεὶς ἐπὶ προφάσει δείματος. Tamen evidentius est scholiastam illum in toto hoc loco somniavisse, quam ut auctoritatem eius sequi possimus. Itaque festinantius Erfurdtius coniecturam istam recepit, quam ipse Hermannus post tacite revocavit, recte servans librorum scripturam in Elem. doctr. metr. p. 273 et in recentiore editione So-

phoclis. Sed interpretatur eam: *conciliatus praedictione Centauri, suada peruncta.* Quam falsam esse interpretationem ipse significat dicens: „satis moleste haec Sophocles enunciavit, novata significatione vocabuli *πρόφασις*, id ut praedictionem vel mandatum indicaret.“ Hoc ipsum enim, quod vocabuli significatio novata esset, si sensus esset is, quem putat Vir Cel., gravissimus testis est hunc sensum non esse. *Πρόφασις* in universum *causa* est, quae aut iam apparuit falsa, aut falsa videtur, aut verane sit an falsa, in medio relinquitur. Priora duo sunt, quod Latini dicunt *praetextus, simulatio, der Vorwand*, et sunt frequentissima, tertium est, quod Latini *dictum, indicium, das Vorgeben*, estque minus frequens. Unum ex his tribus necesse est nostro in loco exprimatur. Et quidem neque scire adhuc poterant Trachiniae causam, de qua Centaurus illa suasisset, falsam esse, neque erat, cur videretur falsa; imo scimus illas omnem spem suam in Nesso repositam habuisse. Restat igitur, ut, verane sit eius causa an falsa, in medio relinquerint dicentes simpliciter: *ex verbis, ex indicio Centauri.* Hoc sensui accommodandum est: videamus igitur reliqua. Quid est enim *πάγχριστον τᾶς πειθοῦς*? *Τὸ πάγχριστον* nihil aliud esse potest nisi vestis illa tam *penitus peruncta*, ut sit pro ipso *unguento*, ubi nos: *das Kleid ist ganz Salbe*; hinc genitivus *τᾶς πειθοῦς, unguentum suadae.* Iam quaeritur, quaenam verborum constructio sit, qua sana aliqua sententia creetur. Quaeritur igitur, quid sit, quod Nessus morieus *indicavisset*, unde poëta dixerit: *ex verbis Nessi.* Vestem peruncta ab Hercule indutum iri non indicaverat, sed suaserat, ut indueretur, et vis *suadendi* aliena a *πρόφασις*. Profecto autem hoc indicaverat Nessus unguentum illud fore *suadae* i. e. Herculem eo rursus amore Deïanirae inflammatum iri. Hac ipsa causa usus erat, cur Deïanirae vestem cum unguento traderet, et propter hanc causam Deïanira eam acceperat. Apertum est igitur verba *ἐπὶ προφάσει θηρὸς* arctissime cohaerere cum *τᾶς πειθοῦς*: huc enim indicium Nessi pertinuerat, hoc ei fuerat in causa, cur vestem donaret. Nunc hic est sensus totius loci: *unde veniat Hercules sine mora, indutus ex verbis Centauri unguento suadae*, hoc est, indutus unguento, quod, ut Centau-

rus perhibuit, persuadebit ei, ut Deïaniram rursus amet. Callide vero poëta delegit vocabulum πρόφασις, quo *causam* exprimens cur moriens Nessus Deïanirae vestem istam cum unguento tradiderit, simul furtim significat hanc causam fuisse falsam ac simulatam.

Addo in versu 665 me ab Hermanno discedere, si genitivum τῶν σῶν Ἡρακλεῖ δωρημάτων pendere dicit a praecedente ἐλπίδος. Hoc enim orationis perpetuitas flagitat, non ut Chorus interroget, cuiusnam rei spe mala ne concitaverit, timeat Deïanira, sed ut recta interroget, quid timeat. Nam hic est ordo sententiarum, ut, quum Chorus interrogaverit: τί δ' ἐστὶ, et Deïanira responderit: ἀθυμῶ, ille rursus interroget, cur tandem timeat. Hinc v. 668, δίδαξον, εἰ διδακτὸν, ἐξ ὅτου φοβῇ. Sed genitivus ille ex eorum millium numero est, qui explicandi sunt: *quod attinet ad.* Scilicet Chorus dicit: *non timebis de veste Herculi donata.*

§. 20.

V. 958 sqq. Chorus repente Herculem morbo afflictum apportari videns ita loquitur:

ἀγχοῦ δ' ἄρα κοὐ μακρὰν
προὔκλαιον, ὀξύφωνος ὡς ἀηδών·
ξένων γὰρ ἐξόμιλος ἥδε τις βάσις.

Duplicem mihi hic locus dubitationem iniicit, unam, quod Hermannus ἀγχοῦ κοὐ μακρὰν breviter putat dici pro ἀγχοῦ ὄντα, alteram, quod idem iungens ξένων ἐξόμιλος interpretatur: *a peregrinis egressa turba.* Ac prius quidem fieri omnino posse nego. Neque opus. Nam manet fere idem sensus, si illa pro adverbiis accipimus. Ἄγχοῦ de loco *prope* est, de tempore *mox* vel *brevi;* μακρὰν de loco *longe* est, de tempore item *longe* vel *diu.* Ita hic dicitur: *brevi ergo, non diu ante flevi.* Iam enim adest Hercules graviter aegrotans. Quid sit autem *a peregrinis egressa turba,* fateor me nondum assequi. Certe hoc est tam obscure insolenterque dictum, ut mihi valde dissimile esse videatur Sophoclis. Ἐξόμιλος dicitur, *qui extra aliquam societatem est,* igitur hoc loco, *qui non e societate* Trachiniorum *est,* hoc est, *peregrinus, ignotus.* Cuius significatio-

nis si alterum exemplum scire se velle ait Erfurdtius, sane tale non adest, quia totum vocabulum fere nusquam praeterea legitur. Tamen ei vim istam, quam indicavi, maxime convenire docet verbum ἐξομιλεῖν. Iungenda sunt autem non ξένων ἐξόμιλος, sed ξένων βάσις, et totum poëticum est pro: ξένοι γὰρ οἵδε τινὲς ἐξόμιλοι βαίνουσιν. Simile abstractum pro concreto obvium in Oed. Col. v. 1070, πᾶσα δ' ὁρμᾶται πώλων ἄμβασις, *omnes equites*. Ita hic nascitur sensus aptissimus: *nam veniunt illic hospites quidam ignoti*. Iocosum est, quod Mudgius legendum proponit linguam graecam locupletans, ἑξόμιλος, ut prodeant sex homines sociam operam navantes.

Subiungo hic v. 989 sqq., ubi exclamat Hercules:

ὦ Κηναία κρηπὶς βωμῶν
ἱερῶν, οἵαν οἵων ἐπί μοι
μελέῳ χάριν ἠνύσω.

Recte post Hermannum editores, quod scio, omnes spuria ista omiserunt ἀνθ' et θυμάτων. Sanatum nunc metrum est. Tamen, quod ad sensum, nihil lucramur, si iam ἱερῶν divulsum a βωμῶν cum οἵων coniungimus, id quod cum Hermanno fecerunt plurimi. Nam primum absurdum est dici οἵων ἱερῶν, quum neque multa illic fecisset sacrificia Hercules, sed unum, neque magnificum illud, sed valde simplex, utpote viator. Porro multo verisimilius est librarium aliquem interpretatum esse solum οἵων per θυμάτων, quam οἵων ἱερῶν: hoc enim interprete profecto non indigebat. Itaque solum οἵων hic longe praestat; quod est: *eius rei, quod vos exstruxi inque vobis sacrificavi*, plane ut scholiastes: οἵαν χάριν ἀπὸ τῶν θυμάτων διεπράξω. Habemus hoc, si, deletis spuriis, etiam vox ἱερῶν prioribus relinquitur, ut libri faciunt. Et huic quid obstat tandem? „Tragici," inquit Hermannus, „nusquam, quod meminerim, βωμοὺς dicunt ἱερούς." At non vincitur ea re Sophoclem neque in hoc loco ita dixisse. Inveniuntur enim permulta, quae non modo apud tragicos, sed in universa lingua graeca semel tantum exstant. Quid vero? si Homerus pluries usurpat ἱεροὺς βωμούς, ut Iliad. 2, 305, Odyss. 3, 273, idque prudenter perquam, ut hosce βωμοὺς distinguat ab aliis, qui curribus collocandis aliisve rebus inserviebant; vid.

Eustathii Comm. in Odyss. p. 1570, 64. Quidni hanc locutionem Sophocli quoque largiamur, praesertim si meminerimus, quantum ipse φιλόμηρος fuerit? Pergit Hermannus: „etiam positura verborum alia est, quam debebat. Sic enim dicendum erat, ὦ κρηπὶς ἱερῶν βωμῶν.“ At quid? si dicere poëta voluit: *o arae, quae tam sacrae estis.* An dicere id non debebat? Tum falso idem in Oed. Tyr. 58, ὦ παῖδες οἰκτροί, in Electr. 1405, ὦ γενεὰ τάλαινα, ibid. 86, ὦ φάος ἄγνὸν, in Trach. 932, ὁ παῖς δύστηνος, et falso Euripides in Medea 1248, ὦ φάος διογενές. Elucet hinc, quantum hac in re ex arbitrio scriptoris pendeat. Ἱερὸς βωμὸς est *sacra ara*, βωμὸς ἱερὸς *ara, quae sacra est:* utrum velit, poëtae est. Quin posset, si subtiles esse vellemus, singularis quaedam huic collocationi vis impertiri. Posset enim Hercules cum ironia dicere: *o arae, quae tam sacrae estis, et tamen ita mihi gratias vestras egistis,* ubi nos fere: *o du Altar mit deiner Heiligkeit.* Quamquam his argutiis non multum tribuo.

Restat gravior dubitatio de verbo ἠνύσω. Quod, nondum adducor, ut significare hic credam: *consecutae estis.* Nam quem Hermannus huius loci sensum constituit: *o in Cenaeo exstructae arae, quam pro tantis sacris estis in me misero gratiam consecutae,* omnes, credo, fatebuntur nec satis clarum esse neque omnino eum, qui exspectetur. Haec utique desideratur multo et gravior et clarior sententia: *quas mihi misero pro tantis gratias persolvistis.* Quam etiam scholiastas licet ἠνύσω tuentes comprobavisse, ostendunt haec eorum verba: μέμφεται δὲ τῷ τόπῳ, ὅτι οὐκ ἐπὶ αἰσίοις αὐτῷ γέγονε τὰ ἐκεῖ θύματα. Et quamvis huic sententiae omnia prorsus conveniant, etiam verbum ἀνύειν, tamen ea anxie vitatur ab interpretibus, quod eius verbi media forma exstat, atque scriptum est ἀνύειν in activo esse *perficere,* in medio *sibi perficere* i. e. *consequi.* Quasi vero haec sola sit vis reflexiva, ut quis, exempli gratia in verbo ἀνύειν, *sibi perficiat* aliquid ita, ut id *consequatur.* Haec parum consideravisse videntur docti, quum vel medium temere pro activo positum esse docebant vel locum corrigebant propter medium vel sensum ei intrudebant quaesitum et alienum. Sane medio Graecorum subest vis reflexiva; sed

haec ipsa valde est multiplex. Potest aliquid *reflecti* in possessionem *subiecti*, potest in gaudium vel voluntatem, potest in lucrum, in detrimentum, et innumeris aliis modis. Porro quis nescit frequentem dativi graeci usum, quo nihil indicatur nisi quodammodo pertinere aliquid ad aliquem, id quod germanice plerumque ne exprimi quidem potest. Eius generis unum exemplum affero, quod est in Oed. Colon. Sophoclis v. 82, ὦ τέκνον, ἦ βέβηκεν ἥμιν ὁ ξένος; plura vide apud Matth. in gr. gr. §. 389. Haec autem tenuissima ratio ubi talis est, ut inter *verbum* et *subiectum* intercedat, habemus eandem vim *reflexivam* levissimam illam quidem, sed tamen reflexivam. Potest denique aliquid ita *reflecti*, ut vel *a* subiecto fiat, vel *e* subiecto, vel *per* subiectum, vel *propter* subiectum, omnino-que toties aliquid *reflecti* potest, quoties ea inter *nomen* aliquod et *verbum* ratio intercedit, quae *praepositione* exprimitur. Huc pertinent loci, ubi medium fere per *lassen* explicamus, et ubi falso plerique *iussum* aliquod *subiecti* in causa esse putant, cur usurpetur medium. Subest etiam hic mera vis *reflexiva*: nam ista omnia aliquo modo ad ipsum subiectum *reflectuntur*. Sic Xen. Cyrop. VI, 4, 2, de Panthea dicitur, ἐποιήσατο ὅπλα, hoc est proprie, *a suis arma fecit, aus ihren Mitteln*. Sic γράφεσθαί τινα, *accusare aliquem*, proprie est, *nomen alicuius sibi* vel *propter se deferre, sich iemanden aufschreiben*. Fiebat enim accusatio per tabellam thesmothetis reddendam, in quam nomen rei delatum erat. Praecipue διδάσκεσθαι et παιδεύεσθαί τινα proprie sunt *sibi docere* et *educare aliquem*. De his verbis non accurate disputant Heindorfius ad Plat. Prot. p. 517, et Porsonus ad Eurip. Med. 297. Nam neque, si de magistro medium, de patre activum usurpatur, medium cum activo confunditur, neque, ubicumque pater filium διδάσκεσθαι dicitur, hoc medium per *lassen* explicandum est. Potest enim pater ipse filium *docere*, tum recte ponitur διδάσκειν; potest pater ipse *sibi* filium *docere*, tum recte ponitur διδάσκεσθαι et tamen per *lassen* explicari nequit; potest pater filium per alios *docere*, tum recte ponitur διδάσκειν, et tamen fert indoles linguae germanicae, ut hoc vertamus *unterrichten lassen*: licet nos quoque dicamus *er baut ein Haus* de eo,

qui id aliorum opera facit: huc pertinet Plat. Prot. p. 324, D, τί δή ποτε οἱ ἄνδρες οἱ ἀγαθοὶ τὰ μὲν ἄλλα τοὺς αὑτῶν υἱεῖς διδάσκουσιν ἃ διδασκάλων ἔχεται καὶ σοφοὺς ποιοῦσιν, ἣν δὲ αὐτοὶ ἀρετὴν ἀγαθοὶ, οὐδενὸς βελτίους ποιοῦσι· Men. p. 94, A, οὐκοῦν καὶ οὗτος τὸν υἱὸν τὸν αὑτοῦ Λυσίμαχον κάλλιστα Ἀθηναίων ἐπαίδευσεν, cf. ibid. B, C, D. Contra Men. p. 93, D et Protag. p. 325, B iisdem conditionibus medium usurpatum est. Nam potest porro pater *sibi* filium per alios *docere*, tum ponitur διδάσκεσθαι, quod est: *sich ihn unterrichten lassen*. Atque hoc genus usitatissimum est; sed medium non ponitur, quia pater filium *curat* docendum, quod *curat* nos demum addimus, sed propterea, quod pater *sibi* eum docendum curat. Huc referenda sunt inter innumera alia Eur. Med. 299, χρὴ δ' οὔποτε παῖδας περισσῶς ἐκδιδάσκεσθαι σοφούς, et Xen. Mem. IV, 4, 5, τὸ, εἴ μέν τις βούλοιτο σκυτέα διδάξασθαί τινά ἢ τέκτονα —, μὴ ἀπορεῖν, ὅποι ἂν πέμψας τούτου τύχοι. Si vicissim magister filium alicuius *docet*, is propterea dicitur eum διδάσκειν; huius quoque generis infinita exempla sunt. Potest vero magister tanto discipulum amore prosequi, ut alter pater sit; tum dici potest eum *sibi docere* et recte ponitur διδάσκεσθαι, etsi non *curat* eum docendum, sed ipse *docet*. Huc egregie quadrat, quod Aristoph. Nub. v. 781 Socrates praeceptor ad Strepsiadem dicit, ὑθλεῖς. ἄπερρ', οὐκ ἂν διδαξαίμην σ' ἔτι, ubi cave scribas cum Elmsleio διδάξαιμι' ἄν; alterum exemplum attulit Elmsleius ex Simonide, τοσσάκι δ' ἱμερόεντα διδαξάμενος χορὸν ἀνδρῶν εὐδόξου νίκας ἀγλαὸν ἅρμ' ἐπέβας. Tertium est in Nostri Trachiniis v. 677, ἐγὼ γὰρ ὧν ὁ θήρ με Κένταυρος προὐδιδάξατο, παρῆκα θεσμιῶν οὐδέν. Iam si perpenderis, quam sit incredibilem in modum varia vis ista *reflexiva*, medium quoque Graecorum, intellexeris, cur sit tam varium. Itaque χρόνος φανέντα κρύπτεται Soph. Ai. 633 est: tempus aperta *in se involvit*, sicut πᾶν σοι φράσω, οὐδὲ κρύψομαι ib. 474, omnia tibi dicam, nec *mecum habebo*, plane nostrum *bei sich behalten*. Porro Oed. Tyr. 1014. παῖδά μ' ὠνομάζετο non tam est *vocari sivit* [quorsum enim hoc *sivit?*], sed, ut recte Brunckius: filium me *sibi nomina-*

bat i. e. filium me *suum nominabat*. Trach. 305, οὕτως δέδοικα τάςδ' ὁρωμένη, sic metuo has *mihi intuens*, *bei mir betrachtend*, cf. v. 905 et Ant. 589. Philoct. 130, οὗ ποικίλως αὐδωμένου, si confuse *sua fabulabitur* i. e. si *fabulabitur*, ut *sibi* conducet, cf. Aiax. 759. Plat. Gorg. p. 484, B, Ἡρακλῆς τοῦ Γηρυόνου ἠλάσατο τὰς βοῦς, Hercules Geryonis pecora *sibi* vel *secum abegit*. Denique προτρέπεσθαί τινα, quod legitur V. C. Xen. Mem. I, 2, 32, III, 3, 8, IV, 5, 1, Herod. I, 31, usque est *sibi impellere* aliquem, *sibi conciliare*, *in suas partes ducere*, *einen für sich gewinnen zu etwas*. Et sic medium, ubicunque usurpetur, etiam vi sua vere est medium. En quam praeclare huc quadret exemplum e lingua vernacula. Dicit enim alicubi Schillerus noster celeberrimus:

Was der Mensch sich kann erlangen
Durch den Willen und die Kraft

Quod quis non etiam Germanus libenti animo vel falsum dixerit vel confusum vel mendose scriptum. Et tamen sic cecinit magnus poëta et recte cecinit: auxit enim vim reflexivam addendo *sich*, atque ut augeret, sententiae genus commonuit.

Disputavit de vi medii sagaciter et raro cum acumine Mehlhornius in *Neue Jahrbücher für Phil. und Päd. 1stes Heft, S.* 29 *ff.*, iniuria tamen reprehendens Matthiaeum, quod in proponendis exemplis, ubi „activum pro medio" exstet, prosaicorum usum loquendi a poëtarum parum secreverit. Quod, modo addidisset Vir Doctus, quomodo intellectum velit. An omittendi loci, ubi poëtae activum pro medio ponunt? Hoc enim postulare videtur ille. At mihi persuasum est grammaticum, et quidem merito, in gravissimas reprehensiones incursurum esse, qui hac et simili occasione prosaicorum tantum locos recensens poëtas plane non respexisset. Scilicet grammatico exempla colligenti, quae a regula aliqua excipiantur, non minus poëta, quam pedestris orationis scriptore utendum est. Sed poëtae, cui tanta usquequaque licentia concessa est, ut eum ad orationem conferre licentiam istam nemo sit miraturus, etiam exempla minus rara ac memorabilia esse res est tam nota et divulgata, ut ridiculum foret, si quis vel annotare eam ad

quamlibet paragraphum vellet, vel propter eam collectionem exhibere mancam atque inutilem. Lector quisque vel mediocriter eruditus in his exemplis sponte prosaicum a poëta separabit atque hunc quum non spernat, tamen illi longe maiorem auctoritatem tribuet.

Patet, quam sit subtilis vis ista medii, et quam incautum eam, nisi prima specie animadverteris, statim abiicere cum detrimento sensus. Patet vero etiam, quantum in hac quoque re ex arbitrio scriptoris pendeat et quam sit praeproperum diiudicare velle, quid in hoc genere esse dictum debeat, quid non. Pendet enim a scriptore utrum dicere velit *sibi* aliquid *consequi*, an solum *consequi*, sicut a Xenophonte pependit, utrum diceret ἐδόκει δέ μοι καὶ τοιαῦτα λέγων προτρέπειν τοὺς συνόντας ἀσκεῖν ἐγκράτειαν, ut II, 1, 1, an: ἔπειτα διαλεγόμενος προετρέπετο τοὺς συνόντας πρὸς ἐγκράτειαν, ut IV, 5, 1. Atque ad nostrum tandem locum ut redeam, non est difficile perspectu, quae sit vis medii. Dicit enim Hercules: *o in Cenaeo exstructa sacra ara, quas mihi pro tantis meritis gratias tibi persolvisti.* Quod acerbissime dicit, quasi arae mirum quantum cordi fuerit eum ita remunerari. Est haec medii notio eo stabilior, quod etiam plures loci praesto sunt, ubi verbum ἀνύειν eodem plane modo usurpatum est. Hom. Odyss. 15, 373, οὐ γὰρ ὄἰω τούτου γε ζώοντος ἀνύσσεσθαι τάδε ἔργα. Theocr. XVIII, 16, ἀγαθός τις ἐπέπταρεν ἐρχομένῳ τοι — ὡς ἀνύσαιο. Plat. Phaed. p. 69, D, εἰ δὲ ὀρθῶς προὐθυμήθην καί τι ἠνυσάμην, *si quid profeci.* Simillime Soph. Oed. Tyr. 288, ἀλλ' οὐδ' ἐν ἀργοῖς οὐδὲ τοῦτ' ἐπραξάμην. His omnibus in locis medium indicat eorum, qui sunt *subiecta*, interesse plurimum perfici id, quod volunt, ita ut *sibi* illud *perficiant*.

§. 21.

V. 1014 sqq. senex cum alio Herculem in lectica portans ita alloquitur Hyllum adstantem prope:

ὦ παῖ τοῦδ' ἀνδρὸς, τοὔργον τόδε μεῖζον ἀνήκει,
ἢ κατ' ἐμὰν ῥώμαν· σὺ δὲ σύλλαβε. σοί τε γὰρ ὄμμα
ἔμπλεον ἢ δι' ἐμοῦ σώζειν.

Tenui distinctionem vulgatam, quam veram esse puto. Hermannus distinxit post ὦ παῖ, quia non appareat, quid ad rem conferat τοῦδ' ἀνδρός. Mirum profecto argumentum; quasi superfluum sit invocare aliquem: *o fili Herculis.* At Soph. Ai. 1 et 373 est ὦ παῖ Λαρτίου et τέκνον Λαρτίου, ibid. 134 et 183 Τελαμώνιε παῖ et παῖ Τελαμῶνος, ibid. 209 et 324 παῖ τοῦ Φρυγίου Τελεύταντος et παῖ Τελεύταντος, Electr. 1 ὦ Ἀγαμέμνονος παῖ et Oed. Tyr. 1490 ὦ παῖ Μενοικέως, et sic millies, quae omnia non minus ad rem conferunt, quam si homines illi nomine suo appellantur idque more Graecis usitatissimo. Τοῦδ' ἀνδρὸς poëta posuit pro Ἡρακλέους, quia Hercules proxime adest. Deinde vero quid est tandem τοῦδ' ἀνδρὸς τοὔργον τόδε? *huius viri portatus hicce?* Hoc fieri nequit ita, ut ἀνδρός obiectum sit. Itaque prorsus insolenter illud dictum esset. Denique non modo non abundanter, sed magna cum vi dicitur ὦ παῖ τοῦδ' ἀνδρός. Inest enim haec notio in sententia poëtae: tu es *filius* Herculis, te maxime decet *iuvare* eum, qui iuvat *patrem.* Id affirmare videtur sequens σὺ δέ. Παῖ vero iam est cum emphasi pronunciandum.

Restant sequentia, quae etsi non cum Heathio, qui omnino multum in tragicis somniat, corrupta esse manifestum duco, tamen interpretari non possum ita, uti fecerunt alii. Schaeferus cum Dorvillio ad Charit. p. 152 τε γὰρ idem esse existimat, quod καὶ γὰρ, comparans Latinorum *namque, etenim.* Quibus assentiens Hermannus dicit τε illud nostro in loco non copulare, sed lenius affirmare quam τοί, unde natum sit, ut germanice per *ja* vel *wohl* exprimi possit. At primum ut sit tenuissima interdum, vix ut cognosci queat, copulandi vis, tamen *copulationi* quidem puto semper inservire voculam τε, et, si quando *affirmativo* esse videatur, hoc aut in eo verbo inesse, cui adhaereat, aut in universa sententia. Etiam Latinorum *et et que* in *etenim namque* obtinent plerumque veram ac propriam vim copulandi, uti posthac exemplo demonstrabo, sed consuetudine factum est, ut saepe nonnisi ad copulationem, quae in *nam* et *enim* iam inest, adiuvandam et augendam valerent. Tamen etiamnunc copulant, non affirmant. Neque apud Homerum

ceterosque epicos τε illud non usque copulativum est. Sed quum, ut pueri loquentes vocula *und* sermonem fere iuvant, sic etiam lingua graeca adhuc infans prope scateret ista particula, fieri non potest, quin ea sit talis nonnunquam, ut hodie quidem non modo non exprimi, sed ne animadverti quidem queat. Ita particula τε, cui nostrum *und* vix dimidio par est facilitate, ab Epicis omnium generum vocabulis agglutinabatur, ut quid cum prioribus vel copularet omnino, vel copulatum magis insigniret; cf. Matth. gr. gr. p. 1280. Hinc habemus ὅςτε, ὅσος τε, οἷός τε, ὁππότερός τε, ὁσσάτιός τε, ἅ τε, ὡς τε, ἐφ' ᾧτε, ῥά τε, μέν τε, γάρ τε, ἔνθα τε, ὅτε τε, ὥςει τε, ἵνα τε, ἀλλά τε, δέ τε, et multa alia: in quibus quis ausit reddere voculam istam? Et tamen ea tenet etiam hic vim copulandi ita, ut iis, quae iam per se coniungant, addatur, quo vis iungendi proprie continetur. Sed haec sunt infantis dictionis epicae. Adulta lingua atque exculta, natura rei docet rursus obsoluisse, quae tarditas eius introduxerat. Itaque sermo atticus illorum omnium nihil paene servavit, nisi ὥςτε, οἷός τε et ἅτε, quae usu arctius coaluerant, quam ut divelli possent. Ne ὅςτε quidem vel ἵνα τε ab Atticis mere epico more usurpantur. Sed omnibus in locis, qui a doctis huc referuntur, particula τε propriam suam vim atque consuetam habet, et scribendum est divisim ὅς τε, ἵνα τε. Sic Eur. Phoen. 642 sqq.

κατοικίσαι
πέδια μὲν τὸ θέσφατον
χρῆσε πυροφόρ' Ἀόνων,
καλλιπόταμος ὕδατος ἵνα τε
νοτὶς ἐπέρχεται γύας
Δίρκας —

sensus est: *Aoniam tritico affluentem, et ubi Dircae aquae per agros effunduntur.* Iphig. Aul. 1468 sqq.

συνεπαείδετ' Ἄρτεμιν
Χαλκίδος ἀντίπορον
ἵνα τε δόρατα μέμονε δαΐα —

ubi particula τε haec duo copulat, quod Chalcidis Diana vicina est, et quod ibidem classis Graecorum moratur propter Iphigeniam. Deinde Eurip. Alcest. 452 sqq.

ἴστω δ' Ἀίδης ὁ μελαγχαίτας
θεὸς, ὅς τ' ἐπὶ κώπᾳ
— — — ἵζει —

Hades, cui sunt nigri crines, et qui sedet in gubernaculo. Soph. Oed. Tyr. 688 sqq.

εἴ σε νοσφίζομαι,
ὅς τ' ἐμὰν γᾶν φίλαν ἐν πόνοις ἀλύου-
σαν κατ' ὀρθὸν οὔρισας,
τανῦν τ' εὔπομπος, εἰ δύναιο —

ubi Hermannus frustra poëticam formam ὅστε defendit et explicat. Ὅς τε respondet his, quae sequuntur, τανῦν τε; de qua re vide Seidlerum ad Eur. Electr. 667. — Item in Aeschylo falso contendunt saepius legi, etiam in iambis, Homericam formam ὅστε, imitantes scilicet Blomfieldium ad Persas v. 302, qui usquequaque apud hunc poëtam coniunctim scribit ὅστε, etsi, quos locos in rem suam affert V. D., ad unum omnes sunt alieni. Aesch. Pers. 302,

τίνα δὲ καὶ πενθήσομεν
τῶν ἀρχελάων, ὅς τ' ἐπὶ σκηπτουχίᾳ
ταχθεὶς ἄνανδρον τάξιν ἠρήμου θανών,

sensus est: *quemnam lugebimus, qui fuit dux atque moriens aciem orbam fecit.* Ibidem v. 16,

οἵ τε τὸ Σούσων ἠδ' Ἀγβατάνων
καὶ τὸ παλαιὸν Κίσσιναν ἔρκος
προλιπόντες ἔβαν —

omne robur Asiaticum interiit, et qui Susam et Agbatanam, et qui Cissiam antiquam reliquerant. Ibidem v. 41,

ἕπεται Λυδῶν
ὄχλος, οἵ τ' ἐπίπαν ἠπειρογενὲς
κατέχουσιν ἔθνος —

sequitur Lydorum cohors, et qui omnino continentem habitant: qui est tam manifestus sensus propter vocem ἐπίπαν, ut ipse Blomfieldius in Addendis eum agnoscat. Sept. adv. Theb. 129,

καὶ Κύπρις, ἅτε γένους προμάτωρ,
ἄλεσον —

ubi ἅτε est *quippe, utpote.* Ibidem 750,

πατροκτόνον Οἰδιπόδαν,

ὅς τε μὴ πρὸς ἄγνὰν
σπείρας ἄρουραν —

Oedipodem parricidam, et qui — severat. Agam. 358,

... νὺξ φιλία
μεγάλων κόσμων κτεάτειρα,
ἥ τ' ἐπὶ Τροίας πύργοις ἔβαλες
στεγανὸν δίκτυον —

o nox, quae summa ornamenta possides, et quae cinxisti —. Eum. 1022,

πέμψω δὲ φέγγη λαμπάδων σελασφόρων
εἰς τοὺς ἔνερθε καὶ κάτω χθονὸς τόπους,
ξὺν προςπόλοισιν, αἵ τε φρουροῦσιν βρέτας
τοὐμόν —

quod dictum est pro πέμψω προςπόλους ξὺν λαμπάσιν, αἵ τε φρ. βρ. τοὐμόν, *servas mittam faces ferentes, et quae palladium custodiant.*

Ita in omnibus locis, qui a doctis in contrariam partem afferuntur, particula τε propriam significationem retinet, etiamsi haec non est tam facile observatu, uti plerumque. Iam si haec particula apud Atticos scriptores non legitur ea ratione, quae usitatissima fuit apud Homerum, patet, quam multo minus eiusdem particulae vis affirmativa apud Atticos inveniatur, quae ne apud Homerum quidem usquam obvia est. Nihil est autem falsius unquam disputatum, quam quod a Zeunio putante „τε, inprimis ante γὰρ, saepe absolute poni.“ Hoc numquam ab Epicis factum est, nedum ab Atticis; neque fieri omnino potest, quia haec est natura particulae τε, ut copulet, et quod copulat, esse non potest *absolutum*. Quod si tamen aliquot in Atticis scriptoribus loci inveniuntur, ubi τε et γὰρ coniuncta sunt, ibi τε nihil ad γὰρ, sed ad universam sententiam refertur atque consuetam vim tenet. Quae vis ubi minus aperta est, vel levis ellipsis subest, vel anacoluthon. In hunc modum omnes loci explicari possunt, quos Schaeferus profert ad Dion. Halic. de comp. verb. p. 409. Quod satis erit duobus demonstraviase. Dion. Hal. p. 408 [Schaef.], τί οὖν ἦν ἄτοπον, εἰ καὶ Δημοσθένει φροντὶς εὐφωνίας τε καὶ εὐμελείας ἐγένετο, καὶ τοῦ μηδὲν εἰκῇ καὶ ἀβασανίστως τιθέναι μήτε ὄνομα μήτε ἐντόη-

μα; Πολύ τε γὰρ μᾶλλον ἐμοὶ δοκεῖ προσήκειν —, quae ita explenda sententia est: *quid erat absurdi, si etiam Demostheni curae fuit elegantia verborum et numerosa concinnitas, neve quod temere et inexplorate vel verbum vel sententia collocaretur? Et* minime erat absurdum: *nam multo magis mea opinione decet* —. Xen. Mem. II, 6, 19, οὔ τε γὰρ τοὺς πονηροὺς ὁρῶ φίλους ἀλλήλοις δυναμένους εἶναι, ubi particula τε per anacoluthon explicanda est: nam proprie dicendum erat: οὔτε γὰρ τοὺς πον. ὁρῶ φιλ. ἀλλ. δυν. εἶναι, οὔτ' ἂν τοῖς χρηστοῖς οἱ πονηροί ποτε συναρμόσειαν εἰς φιλίαν; pro his Xenophon, interpositis multis post prius enunciatum, §. 20 demum pergit praecedentis οὔτε oblitus: οὐδ' ἂν τοῖς χρηστοῖς etc. Frequens hoc idem anacoluthiae genus apud Latinos est; de quo vide Matth. de anacoluthis apud Ciceronem, in Wolfii Anal. Vol. III, p. 2 sqq. Atque ut tandem ad nostrum locum revertar, ipsum quoque per ellipsin quandam explicandum censeo. Et quidem particulam τε ibi usitata significatione exstare et copulare duo hoc est argumento, quod in duabus enunciationibus etiam diversae duae notiones adsunt, in priore σύλλαβε, in altera σώζειν, quorum sane notiones differunt, aliud est enim *senem portantem iuvare*, aliud *patrem custodire*. Itaque hoc puto nostro in loco dici expleta sententia: *tu me iuva portantem atque* custodi Herculem, *tibi sunt enim acres adhuc ad custodiendum oculi*. Ad portandum necessaria ῥώμη, ad custodiendum ἔμπλεον ὄμμα. Hoc recte Schaeferus, pro σοί τε γὰρ etiam poni potuisse καὶ γάρ σοι, sed, quod neglexisse videtur Vir Illustris, tantum ita, ut καὶ etiam hic copulativum esset. Nam etiam in Latinorum *etenim* et Graecorum καὶ γὰρ plerumque aliquid ellipseos latet, ut in his apud Xenoph. Anab. II, 5, 5, καὶ γὰρ οἶδα ἤδη ἀνθρώπους, οἳ φοβηθέντες ἀλλήλους, φθάσαι βουλόμενοι πρὶν παθεῖν ἐποίησαν ἀνήκεστα κακά; quae pleniora hunc sensum praeberent: *statui tecum colloqui, ut, si fieri posset, diffidentiam nostram nobis invicem eriperemus. Atque* hoc summopere proderit: *nam novi homines, qui metuentes se invicem atque cavendes, ne iniuria alter ab altero afficerentur, hac ipsa re gravissima mala sibi infligebant.* Item Cicer. Brut. 6, §. 23, „dicendi me non tam

fructus et gloria, quam studium ipsum exercitatioque delectat: quod mihi nulla res eripiet, et praesertim tam studioso. *Etenim* dicere bene nemo potest, nisi qui prudenter intelligit:" quae sic explicanda sunt: „*et* necessarium hoc erit: dicere *enim* bene" etc. Nosmet tales ellipses exprimimus vocula *auch*, ita ut in loco Trachiniarum τε γὰρ potius *ja — auch* significare dixerim, quam *wohl* vel solum *ja: hilf mir doch tragen: du hast ja auch ein gesundes Auge, um über ihn zu wachen.*

Reliqua ἢ δι' ἐμοῦ σώζειν quum paulo insolentius dicta sint, factum est, ut interpretes quidam in iis haesitarent, et Seidlerus vel vitium latere existimaret in ἢ δι' ἐμοῦ. Structuram poëta fecit ex iis, quae cogitavit. Quum enim in ἔμπλεον ὄμμα notio inesset ἄλλο ὄμμα, adiecit propter hanc notionem ἢ δι' ἐμοῦ. Σώζειν autem referendum est ad ἔμπλεον, hoc sensu: *tibi sunt alii ad custodiendum oculi, quam ut per me ille custodiatur.* Mixta sunt igitur: σοί τε γὰρ ὄμμα ἔμπλεον σώζειν, et σοί τε γὰρ ὄμμα ἄλλο σώζειν, ἢ δι' ἐμοῦ.

§. 22.

V. 1251 sqq. Hercules quum iam in eo sit, ut concremetur, haec facit postrema verba:

ἄγε νῦν, πρὶν τήνδ' ἀναχινῆσαι
νόσον, ὦ ψυχὴ σκληρὰ, χάλυβος
λιθοκόλλητον στόμιον παρέχουσ'
ἀνάπανε βοήν.

Mirum vocat Hermannus cogitare quemquam potuisse de freno gemmis distincto. De quo ego miror quemquam potuisse dubitare. Et profecto multum laborat, quam ipse Vir Cel. praefert, explicatio, quum putet comparationem a ferrea compage petitam esse, qua saxa, ne hiscant, coniungantur. Nam primum ut sit λιθοκόλλητον *saxa coniungens*, quod nunquam est, etiam *compagem* istam prorsus est inauditum nominari a poëta στόμιον. Quae etiamsi cum Celso aliquo modo *frenum* dici posset, quod est a *frangendo*, tamen iusto audacius esset eam dicere στόμιον, quod est ab *ore* et *dentibus* et quod nunquam aliud quidquam significat, nisi aut ipsum *os* aut, quod oris est, *frenum*. Deinde vero quid est tandem, quo tam similes

sunt inter se Hercules se ipse flammis tradens et coniungens saxa compages? Coäctus ille quidam, quo et saxa iunguntur et Hercules se tradit? At sunt, quae talem vim longe ac longe melius fortiusque exprimant. Quin vere ne fit quidem cum vi, ut saxa conglutinentur, sed libenter patiuntur se conglutinari, modo sit, cui id facere libeat. Fateor igitur mihi hanc totam comparationem satis debilem ac languidam neque talem videri, qualem et rei et verborum gravitas pondusque flagitat. Itaque tres sunt certissimae causae, cur hic de ferrea compage cogitari non possit. Scholiastes ad locum nihil momenti affert: ipse enim incertus est nec minus nostrae sententiae favet scribens: ἢ λιθοκόλλητον στόμιον, ἀντὶ τοῦ λίθινον καὶ σκληρὸν χαλινὸν σαυτῇ ἐπιβαλοῦσα. Iam vero haec comparatio, qua sibi frenos iniicit moriturus Hercules, quaero, an non sit aptissima atque elegantissima? Certe heröem nostrum non ita libenter vivum cremari, sed cogere se quodammodo ad hoc moriundi genus quum natura humana docet, tum e versu 1253 perspicuum est, ubi hanc mortem ἀεκούσιον ἔργον vocat. Itaque animam suam alloquens pro *cogens* vel *coërcens te morere* propter eximiam similitudinem equi dicit *freno iniecto morere*. Est autem haec similitudo tam apta atque insignis, ut dudum in consuetudinem proverbii venerit. Igitur Graeci dicunt χαλινὸς παρθενίας, Διὸς χαλινὸς, ψυχῆς χαλινὸς ὁ νοῦς, γυναικὶ δοῦναι χαλινούς, et alia. Item Latini *frenos adhibere*, *iniicere*, *frena accipere*, *mordere*, *frenare furorem*, *voluptates*, *effrenata audacia*, et sic porro. Itemque nos utimur verbis *zügeln*, *zähmen*. Unum, quod non prorsus necessarium hoc loco, λιθοκόλλητον est. Tamen neque offensioni id esse debet ita, ut totam similitudinem abiiciamus. Est enim illud epitheton ornans, quod prosaicus vix posuisset, sed quod poëta hoc loco adhibuit, quo et perfectior accuratiorque similitudo esset et oculis melius obiceretur. Nam fuerunt tunc temporis in usu freni illum in modum ornati. Sensus loci iam hic est: *agedum, o dura anima, morere iam iniecto ferreo gemmis distincto freno.*

Caput VI.

PHILOCTETES.

§. 23.

V. 72 sqq. Ulysses timet cum Philocteta congredi; itaque Neoptolemo persuadet, ut eum adeat, has tres praetexens causas, cur ipse sine periculo adire possit:

σὺ μὲν πέπλευκας οὔτ' ἔνορκος οὐδενὶ,
οὔτ' ἐξ ἀνάγκης, οὔτε τοῦ πρώτου στόλου·
ἐμοὶ δὲ τούτων οὐδέν ἐστ' ἀρνήσιμον.

Hermannus observat illud οὔτ' ἐξ ἀνάγκης nihil pertinere ad Ulyssem, sed nonnisi primam et tertiam harum rerum. Nam qui iureiurando obstrictus esset, eum non visum iri Philoctetae in patriam redire, re nondum confecta; qui autem in prima navigatione fuisset, in qua expositus est Philoctetes, eum non posse ab illo non hostem iudicari. Quae sunt per se rectissima. At mirum hercle esset, si Ulysses expresse dixisset istorum trium nihil non in se cadere, et tamen non caderet secundum. Esset hoc germane falsum, cuius tamen in Sophoclem vix conferendum crimen est. Quare sic arbitror, poëtam aut aliter scripsisse, aut verum esse, quod scripsit, et cadere in Ulyssem tria omnia. Scripsit autem, uti habemus, siquidem libris credendum est. Ergo restat, ut etiam secundam illam rem Ulyssi accommodemus. Quod mihi semper visum est esse perfacile. Nempe constat, Agamemnone, Menelao et Palamede Ithacam profectis, ut Ulyssem ad bellum Troianum abducerent, hunc, ut subterfugeret bellum, mente se captum simulavisse, at, mox detecta per Palamedem fraude, coäctum fuisse, ut sequeretur. Anne hoc poëta significavit, quum dixit Ulyssem ἐξ ἀνάγκης Troiam navigavisse? Certe et ἐξ ἀνάγκης manifesto est *coäctus*, et vero etiam res ista iure potuit esse in causa, cur Ulysses cum Philocteta coire nollet. Nam neque qui invitus atque coäctus

Troiam profectus erat, videri poterat infecta re in patriam reverti; sed necesse erat pro fugitivo haberetur atque tum hostis erat Philoctetae. Atque hanc rem a Sophocle significari quum iam per se maxime consentaneum sit, tum satis certum fit loco huius tragoediae v. 1014 sqq., ubi Philoctetes suam apud Graecos contemtionem, Ulyssis contra splendorem eorum eodem his cavillatur:

καίτοι σὺ μὲν κλοπῇ τε κἀνάγκῃ ζυγεὶς
ἔπλεις ἅμ' αὐτοῖς, ἐμὲ δὲ τὸν πανάθλιον
ἔχοντα πλεύσανθ' ἑπτὰ ναυσὶ ναυβάτην
ἄτιμον ἔβαλον.

Memoratur hic illud ipsum, quod a me paulo ante narratum de Ulysse. Et egregius hic locus testis est non modo Sophoclem rem istam Ulyssis bene in animo habuisse atque ἀνάγκην eam nominavisse, sed etiam Philoctetae apud eum eandem rem ita fuisse memoria custoditam, ut Ulyssi iustus propterea metus inc-uteretur. Quae quum sint ita, quis amplius dubitabit, quin etiam nostro in loco res illa Ithacae facta a Sophocle significetur, quum loquitur de ἀνάγκῃ, qua olim rex eius insulae Troiam navigavisset?

§. 24.

V. 150 sq. Neoptolemo hortanti comites, ut opportune agant, respondet Chorus:

μέλον πάλαι μέλημά μοι λέγεις, ἄναξ, τὸ σὸν
φρουρεῖν ὅμμ' ἐπὶ σῷ μάλιστα καιρῷ

Sic libri veteres. In quibus nemo non videt duas syllabas superesse. Itaque Gernhardus omisit ἄναξ; Erfurdtius, deleto μοι, scripsit μέλον πάλαι μέλημ', ἄναξ, λέγεις τὸ σὸν; Brunckius, Schaeferus et Buttmannus deleverunt τὸ σὸν, quia potius ἐμὸν requiratur; denique Hermannus edidit, omisso μέλον, πάλαι μέλημά μοι λέγεις, ἄναξ, τὸ σόν. Ac μοι et ἄναξ quidem Hermannus recte monuit non omittenda esse. Nam exstat utrumque suo loco, ut quid desideraremus, si non exstaret alterutrum. Sed omnis quaestio est de μέλον et de τὸ σόν; horum, videndum est, utrum a Sophocle omissum esse verisimilius sit. In quo si primum librorum auctoritatem re-

spicimus, potior est vox μέλον. Haec enim quum neque in codice neque in editione vetere desit, contra τὸ σὸν omittit Cod. Regius Paris. No. 2711 a Brunckio collatus et vulgo designatus N, deinde edit. Tricl. Turn. Steph. et Cant., quas, ut iam dixi, Brunck. Schaef. et Buttm. secuti sunt. Deinde si consideramus, utrum ab interprete venerit, iterum potior est vox μέλον. Nam hoc profecto magis poëticum est atque exquisitius, quam ut a librario profectum esse videatur, neque Hermannum intelligo contrarium existimantem. Rursus τὸ σὸν, nihil probabilius, quam ab interprete adiectum esse, qui propter sequens ἐπὶ σῷ καιρῷ etiam ὄμμα Neoptolemi esse arbitraretur. Simili explicationis caeco studio tirones, quum est latine reddendum *er tödtete seinen Vater*, reddere solent *suum patrem occidit*. Denique si, id quod gravissimum est, spectamus sensum, etiamnunc viderimus potiorem esse vocem μέλον. Hoc enim non modo aptissimum est et *vere Graecum*, sed abesse plane non potest propterea, quod tum πάλαι referendum esset ad λέγεις, quod, patet, quem perversum sensum crearet; et tamen soloecismus foret πάλαι μέλημά μοι λέγεις pro παλαιὸν μέλημά μοι λέγεις. Deleto vero τὸ σὸν, haec optima atque gravissima sententia nascitur: *dudum curavi, ut oculi* [*mei*] *tuo potissimum commodo vigilarent*. Nam hic est error eorum, qui τὸ σὸν tuentur, ut illud ὄμμα Neoptolemi esse ducant: quod si esset, sane τὸ σὸν abesse nullo pacto posset. At nunc ὄμμα non Neoptolemi est, sed ipsius Chori, neque, quod excogitarunt nonnulli, ipsius Chori ita, ut oculi eius *custodiantur*, ne negligentes sint, verum ut ipsi *custodiant*. Haec esset inepta sententia, illa, *nutum tuum observare ita, ut maxime tibi opportunum est*, et inflata ac tumida per se et insolens propter locutionem φρουρεῖν ὄμμα. Quorsum enim hoc, *ita, ut maxime tibi opportunum est?* An observare poterat Chorus nutum Neoptolemi ita, ut huic inopportunum erat? Quae sunt contraria. Deinde vero neque ὄμμα neque φρουρεῖν unquam usurpantur, ut prius sit *nutus*, alterum *observare, attendere*. Nihil est certius, quam Sophoclem, omisso τὸ σὸν, dixisse hoc loco: *curam dicis, o rex, quae mihi dudum fuit, ut oculi mei tuo potissimum commodo vigilarent.*

Adiungo versus 166 et 167, ubi Choro interroganti, ubinam Philoctetes versetur, Neoptolemus respondet eum haud dubie cibi quaerendi causa prorepsisse: sic enim vivere eum, feras scilicet arcu suo interficientem,

οὐδέ τιν' αὐτῷ
παιῶνα κακῶν ἐπινωμᾶν.

Verba οὐδέ τιν' αὐτῷ ut in cod. Flor. desint, per librarii imprudentiam accidit; sunt enim maxime necessaria, ut recte vidit Hermannus. Maior est dubitatio de voce αὐτῷ. Hoc vulgo legitur; contra in ed. Turn. aliisque libris est αὐτῷ. Priorem scripturam tenuerunt cum Hermanno Dindorfius et Wunderus, alteram Brunckius Erfurdtius Buttmannus et Schaeferus. Equidem facio cum iis, qui αὐτῷ legunt. Atque Hermannum quidem hic plane non percipio. Qui quum ἐπινωμᾶν hoc loco significare censeat *circumspicere* vel *animo versare*, hanc efficit sententiam: *fama est eum non circumspicere sibi malorum medicum.* Tamen primum in promtu est, quantum hoc totum absonum sit: nam Philoctetam circumspexisse vel maxime medicum malorum et natura hominis gravissima testis est et haec Philoctetae fabula satis superque comprobat. Deinde quis unquam audivit ἐπινωμᾶν esse *circumspicere* vel *versare animo.* Quae significatio ei vix sine magna vi obtrudi potest. Denique haec ipsa explicatio ostendit, quam parum firma sit lectio αὐτῷ. Potest enim nihil contortius et insolentius esse, quam illud αὐτῷ ἐπινωμᾶν, si est *sibi circumspicere.* Plane nihil autem lucramur scholiastae interpretamentis, quae Camerarius adoptavit: *Αὐτῷ, ἀντὶ τοῦ ἑαυτῷ. Ἐπινωμᾶν, ἐξευρίσκειν.* Quorum prius non novum, alterum facillimum dictu, difficillimum demonstratu. Nam neque solum ἐπινωμᾶν significare ullo modo potest ἐξευρίσκειν, et ἑαυτῷ ἐπινωμᾶν ea vi, ut sit *sibi adducere, assequi*, non Graecum est. Summum est, ut media forma ἐπινωμᾶσθαι sit *sibi adducere* atque hinc fere idem, quod ἐξευρίσκειν. Itaque apparere reor, quam parum sufficiat ad sensum loci scriptura αὐτῷ. Codices autem in spiritu nihil proficiunt. Nam longe facillimum est spiritum lenem lapsu librarii in asperum esse immutatum. Et αὐτῷ qui semel scriptum invenerant,

fieri non poterat, quin etiam ἐπινωμᾶν interpretarentur ea via, quae sola praesto erat. Hinc omne scholion atque commentum illud ἐπινωμᾶν esse ἐξευρίσκειν. Verius esse αὐτῷ argumento est sensus, qui iam ex laborante optimus evadit. Et quidem nunc ἐπινωμᾶν non cum Erfurdtio vertendum est *adducere*, et τινα pro subiecto habendum, sed cum Brunckio et Buttmanno faciundum est, qui illud explicant *accedere*. *Fama est eum sic vivere, neque unquam ei accedere medicum malorum*, quod est poëticum pro: *neque unquam malum eius consanescere*. Hoc unum hic dici potuit atque iam recte dicitur. Atque nihil usitatius est apud Graecos, quam formas activas verborum transitivorum pro neutris ponere. Vide exemplorum copiam apud Matth. §. 496, 1, et apud Lobeckium ad Aiacis v. 248. Nostri verbi significationem neutralem confirmat versus huius eiusdem fabulae 709, λεύσσων, ὅπου γνοίη στατὸν εἰς ὕδωρ, ἀεὶ προσενώμα, h. e. *semper accessit*. Soph. fragm. XXIII, p. 675, νωμᾷ δ' ἐν οἰωνοῖσι τοὐκείνης πτερόν, *inter alites eius ala pendet*. Eur. Phoen. 1564, δι' ὀδύνας ἂν ἔβας, εἰ τάδε σώματα νεκρῶν ὄμματος αὐγαῖς σαῖς ἐπενώμας; quo loco quum Hermannus ad vim *circumspiciendi* affirmandam utatur, ego contra existimo eum nostrae explicationi adiumento esse. Neque enim alium ex verbis Euripidis sensum elicere possum, nisi hunc: *eiulasses, si, non caecus, ad corpora ista mortuorum oculis tuis accessisses* i. e. *intuitus esses*. Confer praeterea, quae Lobeckius notat ad Aiacem 604, p. 310.

§. 25.

Chorus Philoctetae miserias exponens de Lemno insula dicit v. 686 sqq.

ἵν' αὐτὸς ἦλθ' πρόσουρος οὐκ ἔχων βάσιν,
οὐδέ τιν' ἐγχώρων κακογείτονα,
παρ' ᾧ στόνον ἀντίτυπον βαρυβρῶτ' ἀποκλαύσειεν αἱματηρόν·

Prorsus sunt infinita, quae de hoc loco Sophoclis viri docti disseruerunt. Nam et metrum, sicut in libris constitutum erat, laborabat magno opere, et ipsa verba partim difficiliora partim etiam corrupta videbantur esse. Et quidem prima dubitatio

erat de verbis: ἵν' αὐτὸς ἦν πρόσουρος. Quae diversissimis modis ab interpretibus explicantur. Alii cum scholiasta αὐτὸς interpretantur μόνος, et πρόσουρος, ὑπ' ἀνέμων βαλλόμενος, πρὸς ἄνεμον τετραμμένος ἦν. Alii, ut Heathius Brunckius Buttmannus, neutrum probantes vertunt: *ubi ipse sibi erat vicinus*. Alii cum Hermanno πρόσουρος de *vento secundo* intelligunt. Alii denique, ut Camerarius, dubii sunt, quid horum praeferant. In qua re dirimenda illud mihi ante omnia definiendum esse videtur, quid hoc loco a poëta esse dictum debeat. Summus *Lessingius*, quem omnino locupletissimum in hac quaestione auctorem habeo, verissime observat in Laocoonte primariam Philoctetae fabulae virtutem constare eo, quod Sophocles heroëm suum non solo morbo afflictum introduxerit, sed pluribus malis simul afflictum, qualia sint praeter morbum plena solitudo, fames et ceterae omnes vitae molestiae, quibus quis desertus coelo aspero obnoxius sit. Ita fieri, ut, si aut sola solitudo attentos nos totos tenuisset, aut solus morbus fecisset, ut misericordes initio paulatim addubitaremus, an non patientia ille vincendus esset, at coniuncta mala ista longe vehementissimam nostrum misericordiam excitent. Idem vero ait hunc Chorum nostrum mala ista cuncta considerantem inprimis videri solitudine atque auxilii inopia Philoctetae moveri: nam verbum quodque huius carminis prodere hilarem et consuetudinis amantem Graecum. Et profecto ipsa Chori oratio nihil apertius declarat. Nam quum primum universam Philoctetae miseriam breviter indicavit, statim transit ad solitudinem eius deque ea inde a versu 681 usque ad v. 693 nominatim loquitur, mirans, quomodo, quomodo tandem [πῶς ποτε, πῶς ποτε] *solus* iste vitam miserrimam sustinuerit. Proinde quae v. 694 — 709 canit, non sunt nisi priorum continuatio: enumerans enim, quibus ille caruerit, iterum nihil vult denotatum nisi eius inopiam auxilii. Postremo eum εὐδαίμονα ἀνύσειν dicit propterea, quod iam viri herois societatem adeptus sit: ex quo satis apparet eum hoc Philoctetae malum gravissimum iudicare, quo sublato ille ceteroquin εὐδαίμων et μέγας ἐκ κείνων esse possit; hoc autem solitudinem esse ipse Chorus demonstrat. Iam vero nostra verba eo sunt referenda, ubi de

solitudine Philoctetae nominatim sermo est. Et quidem earum sententiarum, quibus verba illa conclusa sunt, prior universe, altera paulo accuratius in solitudine ista versatur. Itaque quis credat Sophoclem in medio posuisse, quae cum utraque sententia non congruant, ac non, quae ipsa quoque ad solitudinem Philoctetae pertineant? En cur sit aliena a loco interpretatio Hermanni: *in quem locum ipse quasi secundo vento venerat:* quae insuper ne satis capio quidem: nam dixeris potius eum adversissimo vento venisse Lemnum. Si vero e nexu sententiarum patet de solitudine hic sermonem esse debere, poëtae ipsa verba statim ostendunt de illa etiam revera sermonem esse. Verba sunt: ἵν' αὐτὸς ἦν πρόσουρος. Atqui πρόσουρος ubicunque obvium est, ionica forma est pro πρόσορος significatque *vicinus* vel *socius*, sicut ἄπουρος usque pro ἄφορος ponitur atque *remotum* significat. Qui igitur fieri posset, ut hoc vocabulum, quod nunquam non *vicinum* vel *socium* significat, eo ipso loco non significaret, ubi de inopia *vicini* omnium maxime sermo est. Quare vereor, ne, si πρόσουρος non interpretemur *vicinus*, iusto maiorem poëtae vim inferamus. Haec est altera causa, cur neque scholiastae interpretatio, ὑπ' ἀνέμων βαλλόμενος, neque Hermanni, *secundo vento veniens* stare possit. Neutrum unquam significat πρόσουρος, nedum hoc loco, ubi, quae propria eius vis est, ea iam sponte requiritur. Hermannum offendit forma ionica. At constat, quam infinita talium formarum exempla inprimis in melicis tragicorum inveniantur, ut scire velim, quidnam πρόσουρος peccaverit, ut ipsum sit excludendum. Egregie hunc usum adiuvat aliarum vocum similitudo. Nam primum Aesch. Prometh. 1 in iambis usurpatur τηλουρὸς, *longinquus;* Soph. Oed. Tyr. 195 ἄπουρος, *longinquus;* Aesch. Agam. 504 ξύνουρος, *comes.* Porro paene decies apud Euripidem in melicis legitur ionicum οὔρειος pro ὄρειος, *montanus.* In eiusdem Hec. 202 et Phaëth. II, 23 exstant voces etiam magis ionicae οὐρίθρεπτος et οὐριβάτας. In Soph. Philoct. 1148 est οὐρεσιβώτας et Eurip. Bacch. v. 935 οὖρος pro ὄρος, *mons.* Hoc ultimo in loco Hermannus scripsit ἵτ' εἰς ὄρος, quia οὖρος ne Homerus quidem, nisi in casibus trisyllabis οὔρεος, οὔρεα etc. dixerit, nedum tragici. Quod vereor, ut defendere possit Vir Celeber-

rimus. Nam casu fieri et ex parte propter numerum, ut Homerus, quum οὔρεος, οὔρεϊ, οὔρεα, οὔρεσι usurpet creberrime, nunquam usurpet nominativum οὖρος, neque hac in re duas syllabas ullius ponderis fuisse hinc verisimile est, quod et idem Homerus et Herodotus saepissime ponunt disyllabum οὖρος vel οὖρον, οὔρῳ, οὖροι, οὖρα, οὔρων, οὔρους, ubi hoc *finem* significat. Sanum est in loco Euripideo vulgatum οὖρος, quod etiam metrum poscit: respondet enim in antistropha vox ὀργᾷ. Quod autem tragici in τὸ οὖρος, οὔρειος et similibus, quin etiam in cognatis ἄπουρος, τηλουρὸς, ξύνουρος sibi sumserunt, non intelligo, cur non etiam in πρόσουρος sibi sumere potuerint. Omnino hac in re ut nobis constemus, aut omnes ad unam formae ionicae e tragicis expellendae sunt, aut si quae rarior invenitur, sed quae librorum auctoritate stabilita est; huic quoque in illis concedendus locus. Recte vero Buttmannus scholiastae opinionem respuit αὐτὸς esse *solus*; quamquam idem minus recte cum Brunckio ad vocem αὐτὸς intelligendum putat αὑτῷ. Neutro hic opus est. Poëta dicit: *ubi ipse vicinus erat, wo er den Nachbar selbst abgeben musste:* quo nihil clarius dici potest. Tamen si cui magis satisfaciat hoc: *ubi idem vicinus erat*, habeat ille sibi ἁὐτὸς, quod immutari confidenter potest. Manet sententia eadem: habebat Philoctetes vicinum nullum, igitur *ipsum* hunc gerere oportebat, et quod vicinus facturus fuisset, *ipsum* facere. Quam in rem nihil aptius comparari potest, quam quod Erfurdtius ex Luciani Timone c. 43 attulit: εὐωχείσθω μόνος ἑαυτῷ γείτων καὶ ὅμορος. Quod hic γείτων καὶ ὅμορος, apud Sophoclem est πρόσουρος. Totum autem nostrum in universum idem est atque *solus erat*; hinc scholiastae inventum αὐτὸς significare *solus*. Neque si Lucianus dixit: ἑαυτῷ γείτων, sequitur apud Nostrum quoque αὑτῷ supplendum esse; sed est hoc eiusmodi, ut commode et abesse possit et adesse. Vicinum quidem istum, de quo sermo est, neminis esse nisi Philoctetae sponte intelligitur. Quod denique Buttmanno displicuit eandem sententiam, interiecta alia diversa, οὐκ ἔχων βάσιν, statim recurrere in his: οὐδέ τιν' ἐγχώρων κακογείτονα, vereor, ut iure displicuerit. Nam primum haec, quae sequuntur, si modo recte explicantur,

non eadem sunt, quae priora, sed, uti mox apparebit, multo diversa. Deinde tenendum est arctissime cohaerere verba: ἵν' αὐτὸς ἦν πρόσουρος οὐκ ἔχων βάσιν: sensus est enim: *ubi claudus ipse vicinus erat, wo er mit seinem lahmen Fusse den Nachbar selbst abgeben musste.* Est hoc longe fortius expressum, quam si sola ἵν' αὐτὸς ἦν πρός. adessent: nam *claudus* omnium maxime vicino vel socio indiget. Sed hoc *claudus* poëta reddidit per οὐκ ἔχων βάσιν atque ex his nexuit verba sequentia.

Venio ad haec proxima: οὐδέ τιν' ἐγχώρων κακογείτονα, παρ' ᾧ στόνον ἀντίτυπον βαρυβρῶτ' ἀποκλαύσειεν αἱματηρόν. De his antiquitus inter doctos vehementissima pugna fuit. Ald. Brub. 1 Turn. Steph. Tricl. Cant. Musgravius Vauvillersius Erfurdtius Gernhardus Hermannus et Wunderus post ἐγχώρων incidentes κακογείτονα ad στόνον referunt; atque sic alter scholiastes, qui: τὸ δὲ ἑξῆς οὕτω δεῖ λαβεῖν· οὐδέ τινα ἐγχώρων ἔχων, παρ' ᾧ δὴ τὸν κακὸν γείτονα τὸν αἱματηρὸν στόνον ἀποκλαύσειεν. Contra scholiastes prior, qui: οὐ μόνον ὅπου καλὸν οὐκ εἶχε γείτονα, ἀλλ' οὐδὲ κακὸν, παρ' οὗ ἀμοιβαῖον λόγον στενάζων ἀκούσεται, post κακογείτονα demum comma ponit, pro substantivo illud habens; atque sic Brub. 2 Viteb. Brunckius Schaeferus Gedikius Schuetzius Dindorfius Solgerus et Lessingius. Rursus ex his prior scholiastes, quem Buttmannus sequi se profitetur, et Solgerus κακογείτονα explicant κακὸν γείτονα Brunckius Gedikius et Lessingius κακοῦ γείτονα, ut sit *vicinus mali;* sic etiam Vir doctus in Programmate Academ. Ienensi, cuius tamen infelix est coniectura in sequentibus scribendum esse παρ' οὗ στόνος ἀντίτυπος βαρυβρῶτ' ἀποκλαύσειεν αἱματηρόν. Harum rationum vera est ultima, tam vera, ut credere nolim Hermanno ipsi certum fuisse, quum imperitam hanc explicationem dixit. Sole ipso clarius est κακογείτονα esse *vicinum* vel *socium mali*, *ein Unglücksnachbar*, et dici a Sophocle: *ubi claudus ipse vicinus erat, ne mali quidem vicinum indigenarum quemquam habens, quocum mala sua defleret.* Etenim profecto paene necessarium est poëtam in hoc Chori carmine vicinos omnium generum perlustrantem etiam id commemorare, quod hac in re maximum est, ne

malorum quidem *vicinum*, ne vicinum quidem, qui ipse morbo afflictus esset, Philoctetae affuisse. Qui etiamsi hunc revera non multum iuvare potuisset, tamen, modo vicinus, eius miseriam miraudum in modum allevasset. Quod si ita est, nemo negabit illi sententiae non modo non aptiorem, sed omniuo non alium locum esse posse, nisi huncce, in quo versamur. Cuius et tenor et cuncta verba eiusmodi sunt, ut, si etiam abesset vox *κακογείτονα*, tamen is ipse, quem ad *οὐδέ τινα* cogitando adderemus, esset talis *malorum comes*. Vix sanus quis homo atque integer Philoctetae socius perpetua eius lamenta sustinuisset; sed talem esse oportebat, *apud quem mala sua defleret*, qui ipse malis afflictus una lamentaretur. Deinde locutio *παρ' ᾧ* non omittenda est, quae vere est *in dessen Gesellschaft*, ita ut alter una lamentetur. Denique vox *ἀντίτυπον* valde affirmat huiusmodi comitem a poëta memorari, quo ipso lamentante Philoctetae clamores *repercutiantur*. Neque aliter ii interpretes, qui *κακογείτονα* cum *τινα* iungentes a *κακὸς γείτων* illud derivant. Nam Buttmanni „vicinus eidem penuriae iisdemque miseriis colluctans" et Solgeri „vir, qui communiter cum Philocteta malo et tristi loco habitat," quis alius est, si verum quaeris, nisi *malorum comes*? Certe perspicuum est utrumque de calamitatis socio cogitavisse, sed hunc, male quidem, praecidisse atque amputavisse, modo ne ad *κακοῦ γείτονα* confugiendum esset. Et quidem *κακογείτονα* cum *στόνον* iungi non posse, ipse Hermannus invitus dat, quum propter metri inaequalitatem atque audaciam, qua *στόνον* poëta *βαρυβρῶτα* et *αἱματηρὸν* dicat, nomen aliquod, ut *κάματον*, ex hoc loco excidisse coniicit, ad quod epitheta illa duo pertineant. Etsi et metrum aequale sanumque esse mox videris, et vere poëticum est id, quod de *vulnere* dicendum erat, *querelae vulneris* tribuere, *στόνον βαρυβρῶτα — αἱματηρόν*. Similiter Sophocles ponit *τὰς αἱματηρὰς ὀμμάτων διαφθορὰς* pro *ὄμματα αἱματοέντως διεφθαρμένα* Oed. Col. 558, et *ὀργίων φλὸξ αἱματηρὰ* pro *αἱματηρῶν ὀργίων φλὸξ* Trachin. 762. Vid. Herm. ad Philoct. 1106 et Lobeck. ad Aiac. 7. Sed hoc nimirum in causa est, cur, si *κακογείτονα* cum *στόνον* connectimus, addendum quidnasse quivis censeret, quod maior foret coacervatio

non eadem sunt, quae priora, sed, uti mox
diversa. Deinde tenendum est arctissime co
αὐτὸς ἦν πρόσορρος οὐκ ἔχων βάσιν: ser
claudus ipse vicinus erat, wo er mit seine
Nachbar selbst abgeben musste. Est hoc
sum, quam si sola ἦν' αὐτὸς ἦν πρός. a
omnium maxime vicino vel socio indig
poëta reddidit per οὐκ ἔχων βάσιν ut
sequentia.

Venio ad haec proxima: οὐδέ τι
παρ' ᾧ στόνον ἀντίτυπον βαρυβρῶτ'
De his antiquitus inter doctos velem
Brub. 1 Turn. Steph. Tricl. Cant
Erfurdtius Gerhardus Hermannus
incidentes κακογείτονα ad στόνον
liastes, qui: τὸ δὲ ἐξῆς οὕτω
ἔχον, παρ' ᾧ δὴ τὸν κακὸν
ἀποκλαύσειεν. Contra scholia
καλὸν οὐκ εἶχε γείτονα, ἀλλ'
λύγον στενάζων ἀκούσεται.
ponit, pro substantivo illud
Brunckius Schaeferus Gedi
et Lessingius. Rursus ex
mannus sequi se profitetur
κακὸν γείτονα Brunckius
τονα, ut sit *vicinus ma*
nate Academ. Ienensi,
sequentibus scribendum
βρῶτ' ἀποκλαύσειεν a
tima, tam vera, ut cred
quum imperitam hanc
κακογείτονα esse *vicin*
bar, et dici a Sopho
mali quidem vicinum
mala sua deflere. Et
tam in hoc Chori car
tem etiam id commem

infeliciter vicinus est i. e. *infelicem* ... *Unglücksnachbar*. Sic *κακόμαντις* est ... s. *malus vates*, *Unglücksprophet*; ... *λιον*, *infelix nuncius*, *Unglücksbote*; ... *μενος*, *infelix homo*, *Unglückskind*; ... *ων*, *infelix navigator*, *Unglücksschif-* ... *κακῶς* per se sit ambiguum, nimirum ... in compositis. Itaque in aliis eorum ... habet significatque eum, qui ipse *calami-* ... *γονος*, *κακόπλους*, *κακογείτων*, in aliis ... eum, qui *calamitatem affert*, ut in *κα-* ... *ος*. Iunctum est utrumque, exempli causa, ... modo ipsum *numen calamitatem afferens* ... um, qui huic numini obnoxius atque *infelix* ... haec circumscribenda est opinio Gernhardi *κα-* ... tantivo cum adiectivo esse contendentis, quia ... *κακόδουλος* et *ἀγαθοδαίμων*. Omnino vero ... esse, quod dicit Wunderus, *κακογείτονα* nonnisi ... *probum civem* significare posse. Atque si iam ... ento est, quominus illud cum *τινα* consociemus, ... ere amplius dubitabit, qui meminerit etiam a sensu ... desiderari. Neque non sanum est metrum, modo ... stituatur, praeeunte ex parte Hermanno:

Δόγῳ μὲν ἐξήκουσ', ὄπωπα δ' οὐ μάλα
τὸν πελάταν λέκτρων ποτὲ τῶν Διὸς
Ἰξίονα δρομάδα κατ' ἄμπυκα δέσμιον ὡς
ἔλαβ' ὁ παγκρατὴς Κρόνου·

respondent:

ἵν' αὐτὸς ἦν πρόσουρος οὐκ ἔχων βάσιν,
οὐδέ τιν' ἐγχώρων κακογείτονα
παρ' ᾧ στόνον ἀντίτυπον βαρυβρῶτ' ἀποκλαύ-
σειεν αἱματηρόν· οὐδ'
... τάν —

... us strophicis delevit voculas subdi- ... m Turn. Steph. Cant. Tricl. uno ... sit inficetum, ostendit Her- ... simus, neque *δὴ* ex-

epithetorum *κακογείτονα ἀντίτυπον βαρυβρῶτ' αἱματηρὸν*, quam quae etiam a tragico facta esse queat. Ridiculum est autem, si quis in tribus epithetis *ἀντίτυπον βαρυβρῶτ' αἱματηρὸν* propterea haesitat, quod prius sit proprium, altera duo tropica. Nam si modo *στόνος* per *μετωνυμίαν* vocari potest *βαρυβρὼς* et *αἱματηρὸς*, quod non negabit, qui legit poëtas, poëta, qui est mos eius, *effectui* tribuente, quod *causae* est, sponte sequitur, eum etiam *ἀντίτυπον βαρυβρῶτ' αἱματηρὸν* coniunctim dici posse.

Reliqua est maxima quaestio de origine verbi *κακογείτων*. Hoc enim plerique atque ex his etiam novissimus huius fabulae editor Wunderus argumento utuntur, cur *κακογείτονα* ad *στόνον* sit referendum, quod id nihil aliud nisi *malum vicinum* significare possit atque ita ad *τινα* relatum ineptam sententiam reddat: nempe intelligunt *improbum vicinum*. Videtur igitur sublato hoc *malo vicino* nihil amplius impedire, ne *κακογείτονα* ad *τινα* referamus: nam cessante causa, cessat effectus. Atque hoc primum quidem non rectum est, quod illi censent *κακογείτων*, quia sit e *κακὸς γείτων*, etiam significare necesse esse *malum vicinum*. *Κακὸς* enim significat etiam *infelicem*, ita ut *κακογείτων* etiam *infelix vicinus* esse possit; et vero similem in modum Buttmannum et Solgerum vocabulum explicuisse vidimus. Sed dubito de hac tota origine. Nam superest medium, quod nemo tenuit, et quod tamen solum verum est. Scilicet *κακογείτων* neque e *κακοῦ γείτων* est neque e *κακὸς γείτων*, sed e *κακῶς γείτων*, quod est *κακῶς γειτνιῶν* vel *γειτνιάζων*. Nam in his omnibus compositis *κακο* valet *κακῶς*, sicut in iis vocabulis, quae e *καλλι* composita sunt, hoc valet *καλῶς*. Itaque priori plane respondet *δυς*, alteri *εὐ*, et synonyma sunt una ex parte *κακοειδὴς* — *δυσειδὴς*, *κακοείμων* — *δυσείμων*, *κακοέλκης* — *δυσελκὴς*, *κακοηχὴς* — *δυσηχὴς*, *κακοθάνατος* — *δυσθάνατος*, *κακόθρονος* — *δύσθρονος*, *κακόθυμος* — *δύσθυμος*, et sic porro, ex altera parte *καλλιβλέφαρος* — *εὐβλέφαρος*, *καλογνώμων* — *εὐγνώμων*, *καλλίγαμος* — *εὔγαμος*, *καλλιγενὴς* — *εὐγενὴς*, *καλλιγράφος* — *εὐγραφὴς*, *καλλίδενδρος* — *εὔδενδρος*, *καλλιέθειρος* — *εὐέθειρος*, et sic porro. Etiam pro *κακογείτων* dici potuisset *δυσ[illegible]ων*. Signi-

ficat autem hoc eum, qui *infeliciter vicinus* est i. e. *infelicem vicinum, vicinum mali*, *Unglücksnachbar*. Sic κακόμαντις est κακῶς μαντεύων, *infelix* s. *malus vates*, *Unglücksprophet*; κακάγγελος, κακῶς ἀγγέλλων, *infelix nuncius*, *Unglücksbote*; κακόγονος, κακῶς γενόμενος, *infelix homo*, *Unglückskind*; κακόπλους, κακῶς πλέων, *infelix navigator*, *Unglücksschiffer* etc. Quum autem κακῶς per se sit ambiguum, nimirum manet ambiguum etiam in compositis. Itaque in aliis eorum κακο neutralem vim habet significatque eum, qui ipse *calamitosus* est, ut in κακόγονος, κακόπλους, κακογείτων, in aliis activam significatque eum, qui *calamitatem affert*, ut in κακόμαντις, κακάγγελος. Iunctum est utrumque, exempli causa, in κακοδαίμων, quod modo ipsum *numen calamitatem afferens* denotat, modo eum, qui huic numini obnoxius atque *infelix* est. Secundum haec circumscribenda est opinio Gernhardi κακογείτων pro substantivo cum adiectivo esse contendentis, quia id factum sit in κακόδουλος et ἀγαθοδαίμων. Omnino vero apparet secus esse, quod dicit Wunderus, κακογείτονα nonnisi *malum* i. e. *improbum civem* significare posse. Atque si iam nihil impedimento est, quominus illud cum τινα consociemus, ecquis id facere amplius dubitabit, qui meminerit etiam a sensu loci hanc rem desiderari. Neque non sanum est metrum, modo hoc ita constituatur, praeeunte ex parte Hermanno:

Λόγῳ μὲν ἐξήκουσ', ὅπωπα δ' οὐ μάλα
τὸν πελάταν λέκτρων ποτὲ τῶν Διὸς
Ἰξίονα δρομάδα κατ' ἄμπυκα δέσμιον ὡς
ἔλαβ' ὁ παγκρατὴς Κρόνου·

quibus respondent:

Ἵν' αὐτὸς ἦν πρόσουρος οὐκ ἔχων βάσιν,
οὐδέ τιν' ἐγχώρων κακογείτονα
παρ' ᾧ στόνον ἀντίτυπον βαρυβρῶτ' ἀποκλαύσειεν αἱματηρόν· οὐδ'
ὅς τάν —

Recte Buttmannus in versibus strophicis delevit voculas subditicias δὴ et παῖς, quas etiam Turn. Steph. Cant. Triel. uno consensu omittunt. Δὴ quam hic sit inficetum, ostendit Hermannus, [illegible]o sibi constitisset Vir Clarissimus, neque δὴ ex-

tius pugnat, quam petere ab aliquo, ut *pedem sibi abscindat*, et paulo post eidem, quid sit, interroganti respondere, *quid tua refert?* Et tamen hoc ipsum in nostrum locum cadit, ubi Philoctetes modo v. 737 — 40 illud ipsum petierat a Neoptolemo. Etiamsi enim dolores iam aliquantulum remisisse statuimus, id quod non potest, tamen hac re nihil amplius efficitur, quam ut, quae ante petierat Philoctetes, nunc petere desinat. Denique vero nunquam credideriim aegrotum illum ac vulnere suo tantopere vexatum, qui brevi ante molestam Neoptolemi percunctationem duobus verbis vitaverat, nunc, idem si respondisset *οὐκ οἶδα*, interrogaturum denuo fuisse, *πῶς οὐκ οἶσθα;* Nam primum tantum abest, ut Philoctetes dicens: *qui fiat, ut nescias* Neoptolemo hac in re operam suam praestitisset, ut ne oppugnatus quidem interrogando confessus sit, cur lamentetur. Deinde vero omnino alienum est ab eo, qui syllabam *dixisse* satis habet, insuper *interrogare*, et satis habet syllabam, qui est doloribus cruciatus. Quare permirum esset, et si *τί σοι*, et si *πῶς οὐκ οἶσθα* praeter omnem necessitatem interrogasset Philoctetes. Sed macte, quod Sophocles scientior fuit in depingendo eo, cui dolor propemodum vocem praecludit. Nam neque Purgoldus [Observ. Crit. in Soph. Eur. etc. Ienae et Lipsiae 1802], qui omnino iusto proclivior ad corrigendum fuisse videtur, quidquam profecit commata ista eodem fere modo, quo Hermannus, distribuens: *ΦΙΛ. οἶσθ', ὦ παῖ. ΝΕ. τί σοι; οὐκ οἶδα. ΦΙΛ. πῶς οὐκ οἶσθα!* De qua ratione iteranda sunt, quae paulo ante diximus. Et exclamandi signum ponatur, an interrogandi, ad unum redit: nam aliena sunt a Philocteta profligato superflua ista *πῶς οὐκ οἶσθα*, sive interrogentur ea, sive exclamentur.

Profecto omnes has immutationes inanes esse luculentissime demonstrat hoc, quod optima atque sanissima vulgata scriptura est, quam in initio huius paragraphi posui. Tenendum est autem duo potissimum concurrere, quae Philoctetam cum Neoptolemo colloquentem hoc loco moveant, primum *metus*, ne detecto morbo relinquatur, deinde *dolores*. Hi faciunt, ut loqui animus refugiat; ille cur eum maceret, in causa sunt eius lamenta ac malus iste odor, quae eadem iam Graecos permoverant,

ut eum Lemni exponerent; cf. 747 sqq. 796 sqq. 809 sqq. 813, 472, 857 — 65, 878, 888; item 1020 sqq. 860. Et quidem facit hic summus timor, ut morbum, quoad non violentior est, quam pro humana parte [v. 732 sq.], celet atque dissimulet [v. 722, 725, 729, 732 sq.] Coniunctis autem dolore et et metu, gignitur illud quoddam taedium et odium eorum omnium, quae poscunt, ut verba fiant, praesertim si illa ipsum ad morbum spectant. Haec reputans atque Philoctetam tali taedio affectum sibi fingens vix demirabitur, quod is de querelis suis bis interrogatus, bis quoque respondeat declinans: *οἶσθα* i. e. *nosti, du weisst es ja;* quod deinde ne nunc quidem exquirere desinenti illi [*τί σοι*] paulo stomachosius respondeat: *οὐκ οἶδα*, quo indicat se rem confectam velle; et quod denique etiam miranti [*πῶς οὐκ οἶσθα*] tale responsum plane non respondeat, sed doloribus suis indulgeat [*παππαπαππαπαῖ*]. In quibus scire velim, quid tandem non modo non reprehendendum, sed quid non artificiosissime dictum sit ad exprimendum hominem, qualis hic Philoctetes inducitur. Nunc interrogans, sicut natura fert, Neoptolemus est, Philoctetes invitus respondens. Nunc neque contraria dicit Philoctetes, neque ferocior est, quam cadit in eum, qui in gratiam alterius irrepit. Nec non verba *τί σοι* mihi quidem rectissime videntur dici a Neoptolemo, id quod negat Hermannus. Sunt enim consuetudine in breve coäcta ex: *τί σοι συνέβη*, seu, *τί σοι ἐγένετο*; ita ut, si hoc dici potest, possit etiam praecisius illud. Nihil autem facilius est, quam ferre palmam Phyllidis, quam ei exposuit Purgoldus, qui Philoctetae verba *οὐκ οἶδα* commode posset defendere. Quae defensore ne egent quidem. Nam ita pertaesum est Philoctetam sciscitationis Neoptolemi, ut ea liberum esse cupiens, prorsus ut nos interrogationem alicuius graviter ferentes, respondeat: *οὐκ οἶδα*. Porro haec, *πῶς οὐκ οἶσθα*, nemini praeclarius conveniunt, quam Neoptolemo. Nam hoc profecto est, quod admireris, Philoctetam prae dolore inclamantem, nescire se dicere, cur inclamet. Quod idem nesciri a Neoptolemo neque fuisset ita mirandum, nec, si fuisset, Philoctetes declaravisset admirationem suam, sed tacitus, credo, valde gavisus esset occultum esse id, quod ut permaneret occul-

tum, omnes nervos contendebat. Postremo ad intelligendum hunc totum locum non paulum facit versus 745, qui si vel minus recte explicatur, necesse est maximae lectori excitentur turbae. Dicit enim Neoptolemus opinans: *deine Wunde plagt dich gewiss sehr arg:* ad quod Philoctetes respondet: *ia wohl, unbeschreiblich arg.*

Adiungo versum 748, ubi Philoctetes de morbo dicit:

ἥκει γὰρ αὕτη διὰ χρόνου πλάνοις ἴσως,
ὡς ἐξεπλήσθη.

Clarum est corruptum hunc locum esse. Quum enim rationem reddere debeat Philoctetes, cur dixerit Neoptolemo: μή με ταρβήσας προδῷς, haec prorsus una, quantum e verbis coniicitur, ratio esse potest, quae afferatur ab eo: *morbus ubi deferbuit, diu non redit.* Tamen ne huic quidem sententiae verba ita conveniunt, ut neque deficiat quidquam neque abundet neque offendat. Inprimis vox ἴσως accommodari illi nullo pacto potest. Quodsi cum Hermanno, commate post πλάνοις posito, interpretamur *aeque,* sensus nascitur a natura huius loci alienus. Si enim Philoctetes dicit: *redit morbus longis intervallis vagus, aeque ut desaevit,* dicit *etiam desaevire morbum longis intervallis vagum.* At primum qui poterat ille morbus, quoties praesens erat, vagus esse, quum non modo in pede sedem haberet, sed etiam in certa parte pedis. Sunt igitur contraria morbus *vagus* et morbus, qui constat *vulnerato pede.* Deinde si etiam Philoctetae morbus *vagus* esset, tamen quod ille *longis intervallis vagus* diceretur, profecto non eximeret timorem Neoptolemo, sed confirmaret, id quod tamen a consilio Philoctetae prorsus abhorret. Doctorum vel explicationes vel mutationes Hermannus iam monuit omnes ineptas esse. Neque relinquitur quidquam, nisi ut coniectura locum sanemus. Atque nihil hoc in genere ingeniosius est coniectura Hermanni, licet ipsius improbantis: πλάνοις ἴσοις: quod ut receperit in novissima editione, bene fecit Wunderus. De qua scribendi ratione Hermannus dubitat propterea, quia ipso verbo πλάνοις certae vices excludi et potius fortuiti accessus significari videantur. At πλάνοι non sunt *accessus,* sed *vagationes,* et potest ille morbus *post* certa intervalla accedere, postquam *per* haec intervalla vagatus

est. Atque id ipsum dicit hic Philoctetes, sed certa ista intervalla *longa* esse. Neque assentior Wundero, qui ad ἐξεπλήσθη suppleri iubet πλάνοις et totum locum sic interpretatur: *morbus, ubi ad satietatem usque per corpus vagatus est, longo interiecto tempore redit eodem semper modo pervagans.* In quibus nec satis apta sententia inest, nec satis gravis causa, cur Philoctetes Neoptolemum admoneat, ne vereatur. Sed neque Hermanno adstipulor putanti perabsurde loqui, qui absentiam morbi *vagationem* dicat, quasi aliis in locis alios ille interea homines vexet. Censeo enim equidem talem absentiam non tantum recte vagationem dici, sed etiam hoc loco a poëta nostro dici. Nam sedes morbi pes Philoctetae est: qua ubi relicta absens est, ea ipsa de causa *vagus* nominatur morbus, quia iam sedem nullam habet; ubi vero redit, cessat vagari, quia iam rursus ad sedem suam pervenit. *Vagum* est enim, quod seu nolens seu volens huc illuc fertur, quia vel quamdiu sede caret. Hinc πλανῆται vocantur eae stellae, quae sede vacantes perpetuo moventur atque opponuntur iis, quae certam sedem habent et loco suo se non movent. Sunt autem planetae continuo vagae, morbus ille nonnisi quamdiu absens est. Itaque sensum huius loci hunc esse statuo: *nam quum primum deferbuit morbus, per longa demum ac paria intervalla vagatus redit.* De πλάνοις ἔχειν Wunderus bene comparat Oed. Tyr. 67, ἀλλ' ἴστε πολλὰ μέν με δακρύσαντα δὴ, πολλὰς δ' ὁδοὺς ἐλθόντα φροντίδος πλάνοις.

§. 27.

V. 838 sqq. Permittat Celeberrimus Hermannus, ut usurpem, quae ipse nuper in literis ad patrem meum datis de hoc loco perscripsit. Qui in praesenti totum eum et scribit et disponit ita:

ἀλλ' ὅτι δύνᾳ
μάκιστον, κεῖνό μοι, κεῖνο, λάθρᾳ
ἔξιδοῦ ὅπως πράξεις.
οἶσθα γὰρ ὧν αὐδῶμαι,
εἰ τὰν αὐτάν τῳ γνώμιαν ἴσχεις,
μάλα τοι ἄπορα πυκινοῖς ἐνιδεῖν πάθη.

Vertit autem haec ita: „*aber soweit du nur kannst, siehe mir darauf, darauf, wie du es unbemerkt ausführst. Denn du weisst,*

was ich sagen will, wenn du darüber mit einem Gewissen (dem Ulysses) einstimmig bist, so ist unendliches Uebel Verständigen vorauszusehen.“ Quibus haec addit Hermannus. Epicum λάθρᾳ permissum fuisse Sophocli in melicis. In ὅτι πράξεις se iam pridem offendisse. Quod in scholiis ab Elmsleio e cod. Laurent. descriptis ad ὅτι sit annotatum, ὅπως, non esse loco explicationis, sed veram scripturam. Τὰν αὐτὰν iam a veteribus interpretibus lectum fuisse; quod quum in ταὐτὰν corruptum esset, metricum aliquem τῳ in τούτῳ immutavisse. In stropha v. 822 ποῖ δὲ βάσει, quod neque scholiastes habuisse videatur, glossam esse verborum ποῦ στάσει. Itaque illic legendum:

ὦ τέκνον, ὅρα
ποῦ στάσει, πῶς δέ μοι τἀντεῦθεν
φροντίδος —

Denique verba μάλα τοι ἄπορα πυκινοῖς ἐνιδεῖν πάθη explicat: μάλα τοι ἄπορα πάθη ἐστὶ, ἐνιδεῖν πυκινοῖς, ita ut ἐνιδεῖν πυκινοῖς nonnisi per epexegesin adiecta sint.

Haec Hermannus. Quae etsi ex parte praestantissima sunt, tamen ingenue fateor me non posse in omnibus Viro Clarissimo assentiri. Etiamsi enim non nego poëtam ita dicere potuisse, tamen et ipsa materia, in qua hic Sophocles versatur, et vero etiam verba ei[illegible], qualia in codicibus exstant, significare mihi videntur sensum esse paulo alium. Omitto autem interpretum innumeras de hoc loco ac diversissimas sententias, quas si quis omnes deinceps percurrere ac percensere vellet, aegre se ex his turbis posset expedire. Tantum hoc moneo, et Hermannum et Wunderum in orbem redire mihi videri, si ex eo, quod verba μάλα τοι ἄπορα πυκ. ἐν. πάθη apodosin esse praecedentium existimant, quid in his dictum esse debeat, argumentantur. Nam ipsa apodosis ita demonstratione indiget, ut vel negem totam. Et tamen interpretatio horum verborum eo maioris momenti est, quo magis iisdem totius loci recta explicatio nititur. Scilicet verba ista neque apodosis sunt neque protasis, sed universam sententiam efficiunt apodoseos loco praecedentibus adiunctam. Vera apodosis ex tota enunciatione talis fere supplenda est: σπεῦδε, vel, μὴ

μέλλῃς, i. e. *festina*, non anxie mala perpendens, quae ex ea re nasci posse tibi fingis. Nam proprie ita dicendum erat: εἰ ταυτὰν τούτῳ γνώμαν ἴσχεις, ἐπείγου· μάλα γάρ τοι ἄπορα πυκινοῖς ἐνιδεῖν πάθη. Hanc explicandi rationem et tota sententia et sequentia οὗρός τοι, τέκνον, οὖρος non tantum adiuvant, sed paene flagitant; ita ut sensum istorum verborum ita constituam: *profecto magnam inopiam prodit, qui vir gravis* [πυκινοῖς] *mala videt*, hoc est, festina neve anxie mala perpende, quae hac ex re nasci posse tibi fingis: non enim viri gravis est mala ubique conspicere. Haec sententia rei ipsi egregie convenit, et Chorum eam bene in animo habuisse ostendit versus epodi ultimus, ubi plane eadem sententia repetitur: πόνος ὁ μὴ φοβῶν κράτιστος. Πυκινοῖς fieri non potest, quin regatur ab ἄπορά ἐστι, et πυκινός non tam est *klug*, *verständig*, quam *tüchtig*, *nachdrücklich*, plane respondens nostro *energisch*. Quod enim in corporibus *firmum solidumque*, ad animum ubi transfertur significat *gravis*, *fortis* omninoque *vi* ac *vigore plenus*. Hinc demum, si modo manavit, manavit notio *verständig*, *klug*, quam lexicographi falso pro usitatiore venditant. Magis etiam dubito de significatione *überlegt*, *bedachtsam*, quae et propriae et translatae significationi verbi πυκινὸς plane contraria est.

Redeo ad praecedentia, οἶσθα γὰρ ὃν αὐδῶμαι, εἰ ταυτὰν τούτῳ γνώμαν ἴσχεις: de quibus gravissima quaestio est. Libri veteres plane ut scripsi. Quaeritur autem primum, quae sit universa horum sententia. Quam est perfacile dispectu esse: *si vis arcum Philoctetae avertere*. Nam nec quod furtim et dicendum et faciendum est, nec quod opportunissime fit, quum is, ad quem pertinet illud, ἀνόμματος est, οὐδ' ἔχων ἀρωγάν, οὔ χερὸς, οὐ ποδὸς, οὔ τινος ἄρχων, aliud quidquam esse potest, nisi idem furtum. Ex quo simul appareret γνώμαν istam, de qua loquuntur, Ulyssis esse: hic enim maxime auctor fuerat furandi a Philocteta arcus. Cui rei non obstant ea, quae statim sequuntur, si modo intelligantur, uti paulo ante indicatum est. Nec dixerim Atridas totumque Graecorum exercitum intelligendos esse, etiamsi scribamus ὃν αὐδῶμαι. Ii enim nil fecerant, nisi mandaverant Ulyssi et

Neoptolemo, ut arcum sagittasque Herculis *qualicunque modo* aspertarent. Modus ipse, quo ambo has res preciosissimas facillime auferrent, a solo Ulysse excogitatus erat. Iam hoc ne dicere quidem poterat Chorus ad Neoptolemum: *si cum Atridis exercituque graeco sentis* i. e. si vis sagittas Herculis Troiam afferri: nam id eum prorsus voluisse et per se clarum est, siquidem scivit sine sagittis istis Ilium nunquam occidere, et hoc est evidentissimum argumentum, quod eo ipso consilio cum Ulysse Lemnum profectus erat. Porro nec somnus potissimum Philoctetae exspectandus fuisset, si nihil voluisset Neoptolemus nisi arcum illum omnino adipisci: poterat id enim centum aliis modis fieri. Sed tum erat commodus exoptatusque somnus aegroti, si Neoptolemus in auferendo arcu *Ulyssi* assentiebatur. Is enim dispiciens Philoctetam neque blanditiis adductum neque vi coactum iri, ut arma sua sibi concederet [v. 163], consilium dederat dolo ac fraudatione omnia perficiendi [v. 54, 55. 77, 78. 101]. Itaque haec potius quaestio erat, utrum *Neoptolemus in hanc Ulyssis sententiam discederet:* quod si esset, adesse tempus illius persequendae. Atque hoc dicit Chorus. Etsi sequentia ostendunt Neoptolemum reformidare hanc agendi rationem, cuius auctor Ulysses fuerat, neque sagittis Philoctetae potiri velle nisi iusta atque honesta via.

Iam vero ταυτὰν pro τὰν αὐτὰν nullo pacto dictum est. Quam asperitatem nemo unquam scriptor graecus non evitavit, neque Buttmanno credendum est θάτερον Eurip. Ion. 848 esse pro τὸν ἕτερον; sed est neutrius generis pro τὸ ἕτερον. Etiam θάτερος pro ὁ ἕτερος apud seriores tantum ac malos scriptores invenitur; confer Valcken. ad Eur. Hipp. 349 et Piers. ad Moer. p. 432. Necesse est igitur scribatur ταύταν. Et tamen ne ipsum quidem hic locum habere potest, si legimus ὧν αὐδῶμαι. Nam neque sequitur neque praecedit, quo ταύταν γνώμαν referri queat, et absurdum est demonstrativum adesse, ubi, quod *demonstretur*, non adest. Itaque perperam Wunderus in textum illa recepit, οἶσθα γὰρ ὧν αὐδῶμαι, εἰ ταύταν τούτῳ γνώμαν ἴσχεις: quae qui legit, fieri non potest, quin quaerat: *quaenam* γνώμη? In his in-

gustiis duplicem viam novi, quam si ingredimur, probum sensum accipimus. Utraque autem consentit in eo, ut ὃν corrigatur, quod iam ob metricam rationem vitiosum est. Una est, ut cum Hermanno recipiamus, quod in codd. Harlei. et Florent. exstat, ὧν αὐδῶμαι. Sed tum ὧν non esse subiectum et ad Atridas exercitumque graecum referri putandum est, sed esse obiectum atque significare ea, ex quibus γνώμη ista constat. Ita sensus esset: *scis, quorum dicam, si horum faciundorum tibi sententia est.* In qua explicatione hoc solum exprobraverim, quod non ita clare loquitur poëta, uti fas est. Altera via est, ut scribamus, quod non ita clare loquitur poëta, uti fas est. Altera via est, ut scribamus, quod quidem nusquam scriptum exstat, sed quod omnium facillimum est immutatu, ἃν αὐδῶμαι. Hoc potuit tam facile vel lapsu vel consulto in librorum scripturam ὃν corrumpi, ut iam ex hac parte maximam commendationem habeat. Nam et litera α plane nullo negotio in ο abire potuit suntque innumeri loci, ubi in codd. ambae literae commutatae sunt, et vero etiam probabile est librarios, qui verba ταυτὰν τούτῳ γνώμαν pro τὴν αὐτὴν τούτῳ γνώμην sumerent, scripsisse ὃν, quod cum sequentibus melius congruere opinarentur. Sed etiam sensus loci, si legitur ἃν, optimus iam fit atque facillimus: *scis enim, quod dicam, si hoc huic* [Ulyssi] *consilium habes.* Et persuasissimum habeo Sophoclem ita scripsisse, praesertim quum longam ante αὐδῶμαι syllabam affuisse ex strophae versu perspiciatur, nec coniectura cogitari possit et facilior et ad restituendum sensum aptior. Scribo nunc locum ita:

ἀλλ' ὅτι δύνᾳ
μάκιστον, κεῖνό μοι, κεῖνο λάθρᾳ
ἐξιδοῦ, ὅπως πράξεις·
οἶσθα γὰρ ἃν αὐδῶμαι,
εἰ ταύταν τούτῳ γνώμαν ἴσχεις,
μάλα τοι ἄπορα πυκινοῖς ἐνιδεῖν πάθη.

Quibus respondent in stropha:

ὦ τέκνον, ὅρα,
ποῦ στάσει, ποῖ δέ μοι τἀντεῦθεν
φροντίδος. ὁρᾷς ἤδη.

πρὸς τί μενοῦμεν πράσσειν;
καιρός τοι πάντων γνώμιαν ἴσχων
πυλύ τι, πολὺ παρὰ πόδα κράτος ἄρνυται.

Rectissime Hermannus omittit verba strophae subditicia ποῖ δὲ βάσει, quae et metrum turbant neque sensum iuvant et quae a scholiasta quoque omissa fuisse verisimile est. Nec minus idem in ultimo versu strophae adiungit πολύ τι. Quum enim recte metrum ostendat aut hic deesse aut in antistropha supervacaneum esse aliquid, profecto non est, quod et sensui magis conveniat et metro levius medeatur. Denique eundem sequor in antistropha e scholiis codicis Laurent. recipientem ὅπως πράξεις pro ὅτι πράξεις, quod per metrum stare non potest. Suspicor enim librarios, quos syllaba πῶς propter sequens πρ lateret, de suis ad ὁ agglutinavisse τι. Dicit autem Chorus in antistropha haec mea sententia: *Freund, das wird sich finden. Uebrigens rede leise, wenn du mir antwortest: denn der Schlaf der Kranken ist leicht und scharfsichtig. Aber das, das mache mir nun im Geheimen aus, so gut du kannst, wie du verfahren willst. Denn wenn du der Meinung bist, du weisst, welche ich meine: es ist erbärmlich, wenn Leute von Kraft und Entschlossenheit* [πνχινοῖς] *überall böse Folgen erblicken* [πάθη ἐνιδεῖν]; *es ist Zeit, es ist Zeit zum Handeln, Freund.* Sane iam Philocteta dormiente momentum apparuerat, abs quo et sagittarum Herculearum possessio et expugnatio Troiae pendebat. Hic quum iam sponte Neoptolemus admonendus esset, ut rem suam aggrederetur [825 sqq.], tum eo magis etiam atque etiam exhortandus erat, quia ipse se admodum et tardum atque cunctantem [828] et dubium atque incertum [829] praebuerat. Itaque hoc, quod gravissimum est, ut *agens sit* Neoptolemus, etiam commonefacit eum denuo Chorus gravissimis verbis v. 838 sqq. ἀλλ' ὅτι δύνᾳ etc. Verum est quidem etiam hoc esse non parvi ponderis, ut ne Philoctetes expergefactus audiat, quid illi moliantur. Tamen vix inde efficitur de hac re nostro quoque loco sermonem esse atque iungenda esse: ἔξιδοῦ, ὅπως λάθρα πράξεις, id quod Hermannus faciundum

putat. Nam primum satis est semel id commemoratum esse verbis: ὧν δ' ἂν ἀμείβῃ μ' αὖθις, βαιάν μοι, βαιὰν πέμπε λόγων φάμαν. Deinde longe ac longe potius graviusque illud est, ut sciat Neoptolemus, *quid agat*. Hoc enim si nesciebat, neque audire poterat Philoctetes, quid moliretur, atque inanis erat omnis admonitio Chori. Quare permirum esset, si id, quod πάρεργον quodammodo erat neque fiebat nisi occasione data, bis copiosis verbis diceretur, contra, quod caput rei quodque prioris illius primum occasionem obtulerat, tantum semel. Cohaerent λάθρα ἐξιδοῦ et ὅπως πράξεις. Addo autem verbum ἐξιδεῖν paulo rariore hic significatione positum esse. Nempe ἐκ illud in his compositis inservit vi eius verbi, cui annexum est, acuendae atque amplificandae respondetque latino *per* vel *ex* in *perspicere*, *perficere*, *explere*, *explorare* et nostro *er* vel *aus* in *erfinden*, *erforschen*, *ausarbeiten*, *ausfüllen*. Indicat enim praepositio ista aliquid ita fieri, ut *finis* sit eius rei. Itaque ἐξιδεῖν neque pro simplici ἰδεῖν positum est, neque, ut Buttmanno visum, significat *prospicere*, *e longinquo conspicere*, sed, ut recte vidit Wunderus, *penitus videre*, *perspicere*, ita *videre*, ut nihil dubitationis relinquatur i. e. *decernere*, *secum constituere*. Nec verum est ἐξορᾶσθαι Eur. Heracl. 670 et Helen. 1269 esse *ex longinquo conspicere*, id quod idem Buttmannus existimavit, sed ambobus in locis respondet nostro *erkennen*, et notio longinquitatis in universa sententia inest.

§. 28.

Non possum locum huius tragoediae praetermittere, quo est in toto fere Sophocle nullus commemoratione dignior. Nullus est enim, in quo sanando viri docti antiquitus incredibiliorem in modum aestuaverint, nullus vero etiam, in quo hic omnis labor ac sudor minus adhuc profecerit. Nempe versus 1081 — 83 in omnibus libris ita perscripti exstant:

εἰθ' αἰθέρος ἄνω
πτωκάδες ὀξυτόνου διὰ πνεύματος
ἔλωσί μ'· οὐ γὰρ ἔτ' ἰσχύω.

At primum metrum a metro antistrophico vehementer discrepat.

Nam et dochmio mero et elegantissimo respondet in stropha dochmius alius formae, et dimetro iambico catalectico dimeter iambicus acatalecticus anapaesto defoedatus. Deinde in verbis εἴϑε — ἕλωσι soloecismus inest, quem hodie nemo non gravissimum agnoscit. Quidquid enim Buttmannus comminiscatur ad patrocinandum huic loquendi formae, nihil est unquam magis contra leges atque naturam linguae graecae dictum. Nisi vero quis hoc a poëta dici opinetur: *wenn doch Iemand wollte, dass mich die Vögel davon trügen:* quae quam sit male sana sententia, puer quisque intelligit. Etiam Hermannus, qui olim huius constructionis defensor exstiterat in Elem. doctr. metr. p. 534 sqq., eandem in editione Philoctetae iam dudum ita reprobavit, ut non leviter vituperaret Buttmannum, quod corruptis duobus Euripidis locis inductus totam istam σύνταξιν certam ac tutam esse iudicaret. Confecit rem pater meus ad hos ipsos locos Euripideos, Suppl. 1028, Hel. 263 et Hecub. 424; item in gramm. gr. §. 517, *Anm.* 6, p. 991.

Quae quum sint ita, recte Hermannus dicit emendationem inveniendam esse, quae non modo soloecum illud metroque repugnans εἴϑε removeat in postremisque verbis aut γὰρ aut ἔτι commode omitti patiatur, sed etiam talis sit, ut, unde scholiastes optationem in hoc loco commentus sit, appareat. Metro quidem an repugnet εἴϑε, dubito; sed hac de re postea. Nunc coniecturarum, quarum quasi moles antiquitus hunc locum pressit, nobilissimae duae examinandae sunt. Altera est Hermanni, qui edidit ἴϑ' pro εἴϑ', ἕλωσι pro coniunctivo deliberativo habens vertensque: *age, per altum aetherem fugaces stridentibus auris aves me capiant: non amplius prohibeo.* In qua coniectura aestimanda Wundero et Matthiaeo adstipulor; quorum prior hanc viam probari non posse ait, sed coniunctivi deliberativi, cuius exempla ex tragicis ab Elmsleio ad Heracl. 559 et ad Med. 1242 allata sint, longe aliam vim esse atque usum; hic autem ad locum nostrum in edit. Soph. p. 335 talia monet: „Hermannus ἕλωσι pro coniunctivo deliberativo habet, ut ἕλωσί με πτωκάδες idem valeat, quod αἱρεϑῶ ὑπὸ πτωκάδων. Cf. ad Oed. Col. 174. Sed haec forma ibi tantum locum habet, ubi aliquis rem fieri cupit eamque pro sua parte

adiuvat, inprimis ubi quis se ipsum ad aliquid faciundum excitat. In locis vero e Demosthene allatis primum est interrogatio, tum πότερον σέ τις — φῇ, εἶτα ταῦθ' οὗτοι πεισθῶσιν est: *utrum vocare te aliquem vis, visne eos credere*, ubi nos: *soll einer sagen, sollen diese glauben?*" Quibus equidem haec addo. *Coniunctivus* modus est *objectivus incertum* exprimens, *optativus* exprimens idem modus *subiectivus*. Id, de quo deliberatur, *incertum* est; sed non potest deliberari, nisi de eo, quod penes nos est, vel quod e voluntate nostra pendet h. e. quod *obiectivum* est. Hinc modus *deliberativus* coniunctivus est; sed de secunda et tertia persona optativus usurpatur, quia non possumus deliberare pro aliis, neque, quid his sit faciundum, a nobis pendet, sed ab ipsis, neque igitur hoc *obiectivum* est, sed *subiectivum*. Vid. Herm. de ellips. et pleon. in Opusc. Vol. I. p. 207, et ad Viger. p. 743. Cuius rei dilucidum exemplum est in Soph. Ant. 132, θεῶν τε ναοὺς ἐπέλθωμεν, ὁ Θήβας δ' ἐλελίζων Βακχεῖος ἄρχοι. Itaque dicitur μάθωμεν, ut in Philoct. 535, etiam φέρε νυν καλέσω, ut ibidem v. 1483. At neque dici potest αἱρεθῶ ὑπὸ πτωκάδων, et multo minus ἕλωσί με πτωκάδες: nam illud ἑλεῖν mere est *subiectivum* h. e. plane non est in manu Philoctetae se ab avibus auferri, verum hoc unice *cogitatione* eius continetur: id quod requirit optativum. Quare mihi nondum persuadeo ἕλωσι illud esse modum *deliberandi*. Potest autem illa sententia, *age per altum aetherem aves me capiant*, duobus aliis praeterea modis intelligi, aut, ut sit mera optatio, aut, ut dicatur: *per me licet aves me capiant*. At prius certum est poscere optativum; altera sententia non modo ipsa quoque *subiectiva* ideoque optativo accommodatior est, sed etiam alia ex parte laborat maxime. Nempe est ea hominis tranquilli, qui sortem suam nihil curat, sed aequo immobilique vultu contemplatur. At maximopere mirandum esset, si Philoctetes, qui brevi ante verbis τί ποτ' αὖ μοι τὸ καθ' ἡμαρ ἔσται; τοῦ ποτε τεύξομαι σιτονόμου μέλεος πόθεν ἐλπίδος declaraverat se supra modum sua de sorte sollicitum esse, derepente tantopere percaluisset, ut diceret: *per me licet me capiant aves*. Haec sunt, quae me permoveant, ut Hermanni inter-

pretationem amplecti non possim. Sed neque correctionem eius ἴθ' probaverim: sublata enim sententia ista, neque particula ea amplius huc quadrat. Itaque altera coniectura sequitur, quae est Matthiaei ad h. l. in edit. Soph. et in gramm. gr. §. 517, *Anm.* 6, p. 991, not., ubi hanc emendandi loci conditionem proponit, ut scribatur: ἔτ' αἰθέρος ἄνω ἕλωσί με; Improbat hanc coniecturam Wunderus in novissima Philoctetae editione, ipse, qui emendandus sit locus, nescire se fassus. Contra quem ego fateor me illam sine dubitatione secuturum esse, nisi in promtu haberem, quae mihi etiam potior esse videatur, emendationem. Nam coniunctivus iam eam haberet vim, quae omnium maxime solemnis est. In metro iam plane non esset, quod exprobraretur. Sententia denique, scire velim, quaenam non modo aptior, sed etiam excellentior esse posset haec: *agitabuntne me tandem aves per altum aetherem?* Sed immuta paulum, ut fiat εἶτ' ex ἔτ': habebis, quod vehementissime mirarer ni scripsisset Sophocles. Legitur nunc cum interrogatione:

εἶτ' αἰθέρος ἄνω
πτωκάδες ὀξυτόνου διὰ πνεύματος
ἕλωσί μ';

Sollen mich denn noch die Vögel durch den Aether sau send davontragen? Non novi sententiam, quae huic toti loco praeclarius conveniat, quam haecce, quae manet ex Matthiaei emendatione. Omnino enim hic locus longe aptior est interrogationi, quam optationi, sicut etiam v. 1074 post συνοίσει multo aptius ponitur signum interrogandi: nam omni auxilio destituti in summisque angustiis versantis proprium est interrogare, mixtis querelis. Sed neque particulam novi, quae illi sententiae praeclarius conveniat, quam εἶτα, quod iam hac nova correctione lucramur. De qua particula non attinet videre Valckenarium ad Eur. Phoen. 549, p. 205 sqq., notum est enim, quam ea praecipue inserviat interrogationi cavillantis vel indignantis. „At," inquient, „in Scyllam incidis, dum vis Charybdim evitare: manet enim primi versus prima syllaba longa respondens in antistropha primae brevi,

εἶτ' αἰθέρος ἄνω — — ⏑ ⏑ ⏑ —
antistr.
ἰδοίμαν δέ νιν. ⏑ — — ⏑ —,

quod hic ferri non potest. Sed ad hunc ipsum locum iam perveni, ut quaeram, utrum hoc ferri possit. Versus, de quibus agitur, dochmiaci sunt. Numeri dochmiaci Seidlerus in libro de vers. dochm. triginta duas formas constituit, quarum versus noster strophicus ad septimam pertinet, antistrophicus ad primam, et quarum omnino dimidia pars syllabam initialem longam habet pro brevi. Neque Hermannus ipse non dicit disertis verbis versum hunc strophicum metro dochmiaco non repugnare. Etenim sunt eius formae exempla et satis multa et certa: vid. Seidlerum §. 11, p. 26 sqq. Res igitur ita se habet: alii formae dochmii alia respondet, et quaestio haec est, utrum in carmine antistrophico diversae eiusdem numeri formae sibi opponi possint. Quae neque longa neque difficilis quaestio est. Nam Hermannus in Elem. doctr. metr. p. 245, §. 4 de versibus dochmiacis disputans: „etsi in carminibus antistrophicis plerumque accurate exaequantur mensurae, tamen hic illic, etiam apud Aeschylum, qui diligentior caeteris est, alia forma alii opponitur." Porro Seidlerus de vers. dochm. §. 44, p. 109: „in universum observare licet Aeschylum et Sophoclem, si maior locorum numerus spectetur, eandem, qua in stropha usi sunt, maxime si insolentior sit, in antistropha formam reducere, Euripidem vero, ut in aliis, ita hac quoque in re se paulo gessisse liberiorem. Sed neque illi aequalem ubique curam adhibuere, neque hic semper eius sollertiae contemtor fuit. Quocirca cavendum est, ne, syllabarum responsionem nimis sectando, in angustiores, quam par est, limites priscos poëtas compellamus." Denique Heathius in Lect. ad Tragic. Graec. Prooem. p. XIII: „metra metris, non singulos pedes, praesertim dissyllabos, singulis pedibus accurate respondere necesse est," et ad Eur. Hecub. 931, „multum hic negotii sibi facessit Kingius, quod iambo in iambici carminis sede prima opponitur in antistropha spondaeus, sed ne minimum quidem hoc eum morari debebat: nihil enim apud atticos poëtas frequentius. Dummodo metra metris legitime responderent,

an pedes singuli, praesertim dissyllabi, cum singulis etiam pedibus ad amussim concordarent, parum erant solliciti.“ Sed etiam exempla talis aliarum formarum responsionis obvia sunt centum. Quorum satis est aliquot apposuisse. Aesch. Sept. adv. Theb. 86,

θεαί τ', ὀρόμενον.

stroph. 80,

ῥεῖ πολὺς ὅδε λεώς.

Soph. Trachin. 842,

μολόντ' ὀλεθρίαις.

antistr. 853,

κελαινὰ λόγχα.

Aiax 866,

τίς ἂν φιλοπόνων.

antistr. 908,

ἔμιελλες χρόνῳ.

Aesch. Supplices 350,

φυγάδα περίδρομον.

antistr. 362,

μάθε γέρων περ ὤν.

Eurip. Phoeniss. 299,

ὑπώ—ροφα μέλαθρα περᾶν.

antistr. 348,

ἀνὰ δὲ Θηβαίαν.

Soph. Oed. Colon. 843,

εἴργου σοῦ μὲν οὐ.

antistr. 883,

δοκῶ τάνδ' ἄρ' οὐκ.

Aesch. Sept. adv. Theb. 760,

ἀναρπαξάνδραν.

antistr. 755,

ἀνδρῶν ἀλφηστᾶν.

Inprimis ad nos attinent Aesch. Sept. adv. Theb. 149,

Ὄγκα πρὸ πόλεως.

stroph. 142,

πάσ—χει, τί γενήσεται;

Vide Excursum I. Sufficiat haec exemplorum paucitas, quum

plura omnium generum in qualibet paragrapho libri Seidleriani occurrant, inprimis pag. 18 — 24, pag. 189 — 192. Accedit autem horum locorum auctoritati analogia, quam vocant, aliorum numerorum. Nam et glyconei saepenumero in antistropha glyconeum sibi oppositum habent minus purum, cuius rei exempla sex enumeravit Seidlerus ad Eur. El. 122 [vide Eundem ad El. 735, Herm. Elem. doctr. metr. p. 425 sqq., et supra §. 6], et choriambis interdum, inprimis a comicis, in antistropha dipodiae iambicae opponuntur [v. Herm. l. c. p. 427 sq.]. Itaque hoc quidem non dubium est, quin formae dochmiacae in carminibus antistrophicis non tantum possint variare, sed etiam saepissime varient. Quae quum sint ita, profecto non video, quid nostro in loco trepidemus, si est scribendum, quod et propter sententiam ac constructionem verborum praestantissimum est nec propter numerum ullo pacto vitiosum.

Duo restant consideratu digna: unum, quid πτωκάδων nomine intelligendum sit, alterum, quid statuendum de verbis codicum οὐ γὰρ ἔτ' ἰσχύω manifesto corruptis. Prior iam ab Hermanno expedita quaestio est, qui demonstravit πτωκάδας esse nequaquam, id quod tot viri docti somniaverunt, *Harpyias*, sed universe *fugaces aves*. Et sane quis unquam audivit priscae fabulae Harpyias a poëta graeco non modo non τὰς πτωκάδας, sed simpliciter πτωκάδας esse nominatas, et quidem Harpyias ita nominatas esse, quarum nequaquam tam crebro mentio fit apud Tragicos, ut hoc ambiguo atque infinito vocabulo et designari et designatae intelligi queant. Notabile est enim neque apud Sophoclem neque apud Euripidem Harpyias istas unquam non modo nominatim commemorari, sed ne significari quidem; nisi si in Phineo dramate satyrico Sophoclis nomen earum passim delitescere censeamus. Unice Aeschyl. Eumen. 50 Harpyiae non nominantur, verum significantur appellanturque *Γοργόνες*:

πρόσθεν δὲ τἀνδρὸς τοῦδε θαυμαστὸς λόχος
εὕδει γυναικῶν ἐν θρόνοισιν ἥμενος.
οὔτοι γυναῖκας, ἀλλὰ Γοργόνας λέγω·

οὐδ' ὅντε Γοργείοισιν εἰκάσω τόποις·
εἰδόν ποτ' ἤδη Φινέως γεγραμμένας
δεῖπνον φεροὐσας· ἄπτεροί γε μὴν ἰδεῖν
αὗται, μέλαιναι δ' ἐς τὸ πᾶν βδελύκτροποι.

Quo loco causam non esse, quare cum Wakefieldio Hermanno Schützio versum excidisse iudicemus, qui nomen Harpyiarum contineat, iam Wellauerus vidit, sed neque ipse locum perspiciens. Sensus est enim: *Nein, nicht Weiber sind es, sondern Gorgonische Ungethüme, auch nicht Gorgonische Ungethüme, dergleichen ich auf einem Gemälde die Speisen des Phineus davontragen sah, nein, sie sind ohne Flügel und ganz abscheulich schwarz.* Similiter locum explanat I. H. Vossius [*Mythol. Briefe* I, *S.* 207]. Et Furias et Harpyias *Gorgones* appellat Aeschylus, quia Gorgones exemplaria sunt monstrorum. Neque vim substantivam habet vox Γοργόνας, sed adiectivam, non est *die Gorgonen*, sed *Gorgonische Wesen*. Quod minime est ita rarum atque insolitum. Nam eaedem Harpyiae a Virgilio Aen. III, 252 *Furiae*, et alibi secundum Servium ad Aen. III, 233 vaticinantes *Parcae* appellantur. Rursus Parcae vocantur Ἅρπυιαι Κλωθῶες [sic] in Dedicatione Marcelli v. 14, apud Iacobsium Anthol. gr. III, p. 15, nimirum ut rapacitas Parcarum exprimatur, cuius Harpyiae exempla erant. Vid. Iacobsii animadv. ad loc. in Volum. II, P. II, p. 389. Porro Haliades sive maris nymphas secundum Hesychium Sophocles in Daedalo appellat Γοργάδας, et pari modo nos *Furiam* dicimus hominem, qui est instar Furiae. Sed ad rem redeo. Locus ille Aeschyleus solus est apud tragicos, ubi Harpyiae antiquae innuuntur; nisi in Aeschyli quoque Phineo dramate nomen earum hic illic legebatur. Etiam apud Pollucem V, 5 quae ex Actaeone tragoedia Aeschyli afferuntur, Κύραξ, Ἅρπυια, Χάρων, Λυχάτας, nomina sunt canum Actaeonis. Quae quum ita se habeant, quisquamne credat Harpyias in hoc Philoctetae loco a poëta inductas esse, et quidem eo nomine inductas esse, quod eodem prorsus iure millibus aliis animalibus impertiri posset? Immo Vossius [*Myth. Briefe* I, 212 *ff.*] non immerito perstrinxit Brunckium, cuius Harpyias πλωάδας incredibile est

probatas esse Wakefieldio, receptas a Schaefero, laudatas a Porsono, denique etiam Heynio arrisisse ad Apollod. I, 9, 21. Sed neque ipse Vir magnus hic crimine ἀχρισίας liberari potest: nam ipsum de Harpyiis πτωάσι cogitavisse atque has Erfurdtio et Solgero ita comprobavisse, ut exciperentur ab iis, non minus a fide abhorret. Aeque ineptae sunt Gedickii Harpyiae πλωτάδες, et, ne multa, inepta sunt, quaecunque ad animalia ista aliena spectant. Verissime enim Hermannus monet nullum horum nominum Harpyias significare posse, nisi aut nomen Harpyiarum ipsum aut aliquid aliud, quod in solas eas quadret, adiiciatur. Sed in promtu est fons tam communis atque stupendi erroris. Quum enim Harpyiae apud veteres, inprimis Homerum, σύμβολον essent repentinae mortis, ita ut tali morte exstincti ab Harpyiis abrepti esse dicerentur, quumque Philoctetes in hoc Sophoclis loco optare videretur, ut subita ac veloci morte obiret, mirandum non est interpretes etiam Harpyias ei loco intulisse atque has eo vocabulo designari credidisse, quod iis certe accommodari facile poterat. Absit haec ratiocinatio, quae tanto futilior est atque inanior, quanto magis paene manu teneri potest, quod Sophocles hoc loco dixit. Nihil est enim clarius, quam Philoctetam timere, ne aves, quae eius esca fuerant arcu armati, ipso vescantur inope atque privato arcu. Et quidem aves illas non tantillas fuisse, quantos nostros passeres, sed eius staturae, ut ludus iis esset Philoctetam dilaceratum per aetherem aufferre, sponte intelligitur, siquidem ipsae potissimum erant, quibus ille tamdiu vixerat. Est haec sententia tanto stabilior, quia fere eadem paulo post iteratur his verbis ad aves factis:

φυγᾷ μ' οὐκ ἔτ' ἀπ' αὐλίων
πελᾶτ'· οὐ γὰρ ἔχω χεροῖν
τὰν πρόσθεν βελέων ἀλκάν,
— — — — — — — — —
ἀλλ' ἀνέδην ὅδε χῶρος ἐρύκεται,
οὐκ ἔτι φοβητὸς ὑμῖν.
ἕρπετε, νῦν καλόν,
ἀντίφονον κορέσαι στόμα πρὸς χάριν
ἐμᾶς σαρκὸς αἰόλας.

Ad quod hic per ironiam quandam aves invitat Philoctetes, idem

nostro in loco, sed paulo fortius expressum, timens ac querens interrogat. Sed non magis ibidem de Harpyiis cogitandum, quam sanus quisquam hic de iis cogitabit.

Venio ad alteram quaestionem, quae versatur in verbis οὐ γὰρ ἔτ' ἰσχύω. Quae neque ipsa difficilis est et longinqua. Stat illa verba corrupta esse: debet enim dimeter iambicus catalecticus esse hic versus. Et quidem veram viam monstravit Heathius emendans ἴσχω, quod etiam sensus desiderat, sequentibus Brunckio Schaefero Erfurdtio Hermanno Dindorfio Wundero. Confecit viam istam Hermannus delens γὰρ illud, quod glossam nimis redolet, quam ut non libentissime omittatur, quod etiam sententiae gravitati obsistit, et quod Wunderus melius fecisset si omisisset in recentissima editione. Habemus nunc in optimo dimetro iambico catalectico optimum sensum. Quare cavento, qui posthac hanc fabulam foras edent, ne prae immodica atque caeca observantia codicum poëtam negligant.

Totam stropham germanice sic verto: *O du gewölbte Felsenhöhle, die du mir Kühlung und Wärme gewährst, so soll ich Armer dich denn nie verlassen und selbst im Tode sollst du dich mit mir vereinigen? Wehe, wehe! — Du Grotte, die ich unaufhörlich mit meinen Klagen fülle, was wird nun mein tägliches Brodt sein? Woher die Hoffnung, mir Armen Nahrung zu verschaffen? Sollen mich denn die Vögel noch sausend durch den Aether hinauftragen? Ich wehre ihnen nicht mehr.*

§. 29.

Versus 1235 — 44 ab interpretibus mirabilem in modum male intellecti atque distracti sunt. Quamquam vix clarior locus faciliorque inveniri potest. Rectissime illos distribuerunt Schaeferus Brunckius et Wunderus in recentissima editione, nisi quod ultimus versum 1236 sine causa ab interprete agglutinatum esse censet. Series orationis manifesto haec est:

Ulyssis monito, an non exercitum Argivorum metuat Philoctetae arcum restituens, opponit Neoptolemus:

ξὺν τῷ δικαίῳ τὸν σὸν οὐ ταρβῶ φύβδν,
ἀλλ' οὐδέ τοι σῇ χειρὶ πείθομαι τὸ δρᾶν.

Iusta faciens non timeo hunc, quem putas, sed neque tuae vi in faciendo cedo. Pergit Ulysses per acerbam ironiam:

οὐτἄρα Τρωσὶν, ἀλλὰ σοὶ μαχούμεθα.

Itaque non cum Troianis, sed tecum scilicet bellum erit. Ad quod Neoptolemus frigide ac sine ambagibus:

ἔστω τὸ μέλλον.

Per me licet. Hic iram non amplius continet Ulysses, sed Neoptolemum provocat:

χεῖρα δεξιὰν ὁρᾷς
κώπης ἐπιψαύουσαν;

Satisfaciesne mihi? Vicissim Neoptolemus hanc provocationem laete ac fortiter accipit:

ἀλλὰ κἀμέ τοι
ταὐτὸν τόδ' ὄψει δρῶντα κοὐ μέλλοντ' ἔτι.

Profecto satisfaciam. Sed Ulysses, quae est eius magnificentia verborum, se revocat, cuncto exercitui poenam Neoptolemi permittens.

καίτοι σ' ἐάσω· τῷ δὲ σύμπαντι στρατῷ
λέξω τάδ' ἐλθὼν, ὅς σε τιμωρήσεται.

Quamquam te sinam; at cunctus exercitus certior a me factus poenas abs te repetet. Neoptolemus etiamnunc obloquitur, illudens quidem atque cavillans:

ἐσωφρόνησας· κἂν τὰ λοίφ' οὕτω φρονῇς,
ἴσως ἂν ἐκτὸς κλαυμάτων ἔχοις πόδα.

Sapiisti [*das war gescheut*]; *et in posterum si ita sapies, credo te expertem malorum fore.*

Paene absurdum est mea sententia hoc totum colloquium, si versus distribuuntur, uti cum Hermanno fecit Dindorfius aliique. Ita enim aggrediens [*offensiv*] fit Neoptolemus, Ulysses defendens [*defensiv*], id quod et naturae rei et personis, quas Sophocles illis imposuit, et denique universae huius fabulae expositioni prorsus repugnare omnes mecum consentient. Videamus singulos versus.

V. 1, 2. Cuncti libri hos duos versus Neoptolemo attribuunt. Solus Brunckii cod. B. versum 2 Ulyssi impertit. Quem

unum miror et sequentem Buttmannum laudavisse Hermannum et ipsum secutum esse. Atque Ulyssi quidem versum 2 inscribi nullo modo posse peracute ostendit Wunderus in nota critica huic loco subiecta, quem adi. Cuius certissimis argumentis hoc addo, quod, si Ulyssis versus secundus esset, poëta haud dubie dixisset et dicere debuisset: ἀλλ' οὐδ' ἐγὼ σῇ χειρὶ πείθομαι τὸ δρᾶν. Probe id significavit Hermannus, quum locum ita interpretaretur: *at ne ego quidem tuam manum verebor, si perficere voles.* At non adest in verbis poëtae ἐγὼ, et quoniam non adest, Ulyssis versus esse non potest. Contra quam idem versus Neoptolemo praeclare conveniat, non est, quod diu disputetur, dummodo verba eius recte intelligas. Sed duo credo interpretes pellexisse, ut vel Neoptolemo eum abiudicarent vel a commentatore adiectum esse coniicerent vel denique versum statuerent excidisse. Dico difficultatem structurae οὐ πείθομαι τὸ δρᾶν et exordium versus ἀλλ' οὐδέ, pro quo solum οὐδὲ exspectaveris. De priore loco copiose accurateque explicuit Matthiaeus ad Eurip. Hippol. 49 et in gramm. § 543, p. 1066. Scilicet τὸ δρᾶν, ut millies apud Graecos [v. Matth. gr. § 540—45], loco est substantivi igiturque suppleri potest per τὴν δρᾶσιν vel τὰς δράσεις. Neque Hermannus ad Soph. Ai. 114 inter δρᾶν et τὸ δρᾶν aliud quid magnum interesse nisi id, quod omnino articulo efficiatur, cuiquam persuadebit, quamdiu non eandem differentiam ad reliqua quoque substantiva omnia pertinere viderit. Quamquam nemini animo occurret ἡ δρᾶσις a simplici δρᾶσις ita differre, ut prius sit explicativum pro τοῦτο, ἡ δρᾶσις. Sicut autem reliqua substantiva partim *subiective* usurpantur partim *obiective*, sic infinitivus quoque, quum est vicarius substantivi, partim *subiectivam* partim *obiectivam* vim habet. Et quidem nostro in loco τὸ δρᾶν accusativus obiecti est, quem regit πείθομαι. Asciscit enim hoc verbum accusativum rei, quia in activo dicitur πείθειν τινά τι, et dicitur ita in activo, quia, disiunctis re et persona, et πείθειν τινὰ uici potest et πείθειν τι. V. Matth. §. 421, *Anm.* 1, p. 773. Quod autem loci Eurip. Suppl. 1072, ἀλλ' οὐδέ τοι σοὶ πείθομαι δρώσῃ τάδε, sensus est: *at neque patior te ista facere*, hinc

non consequitur οὐ πείθεσθαι semper esse *non pati*. Proprie ac plerumque illud significat *non obsequi*, *non cedere*. Quae significatio manet, ubicunque eadem est persona rei et subiecti, sicut nostro in loco, ubi ne adhiberi quidem potest *non pati*. Quum enim ipse quid faciens alteri non cedo, dici non possum illud *non pati*. Ubi vero rei eadem est persona, quae obiecti, notio *non obsequendi* in vicinam *non patiundi* se vertit, ut in exemplo Hippolyti. Nam alii aliquid facturo *non cedens*, *non patior* eum id facere. Vide, quam sint diversae hae duae locutiones, et quam erraverit Buttmannus ambas in unam eandemque conflans. Itaque hic quidem οὐ πείθεσθαι propria vi exstat *non cedendi*. Quaeritur ad extremum, quid sit τὸ δρᾶν. Iam enim eum in locum pervenimus, cuius potissimum culpa accidisse mihi videtur, ut versum hunc perperam diiudicarent docti. Fallitur enim Wunderus, si loquendi consuetudinem Graecorum postulare existimat, ut τὸ δρᾶν de singula ista *redditione armorum* intelligamus. Quod non modo non poscit usus loquendi, sed etiam contrarium hic locum habet. Τὸ δρᾶν est *facere*; quod, prout verbis atque sententiae accommodatius est, vel ad singulam actionem refertur vel ad universam. Neque articulo hac in re quidquam efficitur. Nam iterum, prout orationis perpetuitati convenit, τὸ δρᾶν vel certa *singula actio* est, vel certa *actio in universum* [*das Handeln*]. Pariter articulus nequaquam decerneret, utrum τὴν δρᾶσιν *peculiaris aliqua actio* esset, an *universa actio*; sed sola a continuatione sermonis illud penderet. Pariterque in praecedenti versu totus sensus demum edocet ξὺν τῷ δικαίῳ non esse *singulum fas*, sed *universum*. Omnino constat, quantum articulus praecipue ad totum aliquod genus exprimendum valeat. Atque ita in nostro loco τὸ δρᾶν non singulum factum, ut redditionem armorum, significat, sed in universum *actionem* seu *res gerendas*; Neoptolemus, ut in priore versu, sic in altero quoque universe loquitur, dicens *se neque Ulyssis vi cedere in rebus a se gerendis*, ita ut totus versus idem sit ac si scripsisset Sophocles: ἀλλ᾽ οὐδέ τοι σῇ χειρὶ ἐφαρμόζω τὰς ἐμὰς ὁράσεις.

Superest ultimus locus, qui versatur in versus exordio.

Qui est brevissimus. Nam ἀλλὰ est *sondern* respondetque praecedenti negationi οὐ ταρβῶ τὸν σὸν φόβον. In quo quid est tandem insolitum? Certo planissimus versus esset, si Sophocles, omissa nova negatione, ita fere dixisset: τὸν σὸν οὐ ταρβῶ φόβον, ἀλλὰ καὶ σῆς χειρὸς καταφρονῶ. Sed placuit ei sententiam negative exprimere. Tota vero sententia, si verba poëtae in pauca conferimus, haec est: ξὺν τῷ δικαίῳ οὐδὲ στρατὸν Ἀχαιῶν, οὐδέ τοι σὴν χεῖρα ταρβῶ. Sed placuit hic quoque poëtae alteram huius sententiae partem tamquam paulo graviorem atque insigniorem depingere, quum profecto magis metuenda esset Ulyssis violentia praesentis, quam exercitus Argivorum, qui quam longissime aberat, et cuius antequam poena eum assequeretur, dudum ex omnium conspectu abiisse poterat Neoptolemus.

V. 3. Hic versus iterum secundum omnes codices Ulyssis est. Cui quam unice conveniat, non est, quod multis demonstretur, postquam etiam in hac re tractanda optime ac sagacissime versatus est Wunderus in nota critica loco subiuncta. Nihil perversius novi, quam si Neoptolemus ad Ulyssem dicit: οὐτἄρα Τρωσὶν, ἀλλὰ σοὶ μαχούμεθα. Quasi vero non Neoptolemus sit, verum Ulysses, qui factis suis prohibeat, ne expugnetur Troia. Apertum est enim eum, contra quem illa dicantur, facere, quo impediat expugnationem Troiae, ac propterea ipsum ante superandum esse, quam ad expugnandam illam progrediantur Graeci. Qui quum sit Neoptolemus arcum Herculeum Philoctetae sinens, non minus apertum est contra Neoptolemum illa dici et ab Ulysse dici. Sed adi Wunderum.

V. 4. Etiam verba ἔστω τὸ μέλλον codices una voce Neoptolemo assignant. Atque hic quoque Wunderum testem appello, quam sit praeposterum ea Ulyssi dare. Nam et ille docuit, et ipse paulo ante commemoravi prorsus necessario in hac tota parte tragoediae, quae rixam Ulyssis et Neoptolemi contineat, illum esse debere *aggredientem*, hunc *defendentem*, sive, ut verbis Wunderi utar, illum certaminis facere initium, hunc, ut modestum iuvenem ac generosum, excipere tantum impetum. Etiam Erfurdtius ad v. 1230 intellexit Ulyssis indoli convenientius esse, ut ipse prius minetur atque alterius demum minis per-

ἄν falso legebant pro ἄμ' vel simili vocabulo, tamen non puto eos poëtam correcturos fuisse propter regulam sibi incognitam: vix enim iam veteres grammatici didicerant ἵν' ἄν significare non posse *ut*. Contra si sumimus a poëta scriptum fuisse εἴποιμεν — ἀκούσαιμεν — πολεμῷμεν, habemus ansam correctionis, qua opportunior probabiliorque nulla est. Hoc enim illi quidem comprehendere animo ac tolerare non poterant, tantillo spatio optativos et coniunctivum variare, sed particulam non curantes instituebant coniunctivum, quem a praesenti tempore requiri probe meminerant, praesertim quum iam adesset coniunctivus in πολεμῶμεν. Nunc etiam clarum est, id quod alioqui nemo perspexerit, qui factum sit, ut, quum inter εἴποιμεν, ἀκούσωμεν, εἴπωμεν, ἀκούσαιμεν tantum dissentiant codices, in πολεμῷμεν ad unum omnes consentiant. Itaque hac ex parte verior est ratio, qua eduntur optativi εἴποιμεν — ἀκούσαιμεν, eosque agnovere Iacobsius Doederlinus Elmsleius Dindorfius. Quod recte factum esse eo certius est, quo magis iidem optativi etiam a sensu loci atque grammatica ratione commendantur. Hoc quidem compertum habemus, ἵν' ἄν esse non posse *ut* [vid. Herm. Elmsl. Reisig. ad h. l. Doederl. in Act. Monac. 1, p. 37, Poppo dissert. p. 19 sqq.] sed esse *ubi*. Hoc autem si verum sit, necessario scribendum esse propter sensum ἵν' ἄν τὸ μὲν εἴποιμεν, τὸ δ' ἀκούσαιμεν non minus est exploratum atque Hermannus his ipsis verbis affirmat. Res igitur confecta esset; nisi idem V. Cl. declinaret hanc necessitatem scribendo ἄμ' pro ἄν. At minime illi coniunctivi nec tam sunt stabiles nec tam pretiosi, quorum in gratiam poëtae locus nova coniectura oneretur, praesertim coniectura, quae ei nequaquam magno ornamento foret. Libere enim confiteor illud ἄμ', inprimis ita collocatum, mihi magnopere supervacaneum atque inutile videri. Redeamus igitur ad optativos. Qui si librarios auctores habere non possunt, si propter grammaticam rationem necessarii sunt, si denique etiam sensui loci prorsus conveniunt, profecto nihil magis sponte consequitur, quam etiam scriptum esse a Sophocle ἵν' ἄν τὸ μὲν εἴποιμεν, τὸ δ' ἀκούσαιμεν. Ac sensus quidem iam hic est: *duc me, filia, ubi pietatis officium obeuntes dica-*

mus vicissim et audiamus, neve necessitati reluctemur: quo quis meliorem atque elegantiorem requirat? Quod enim Hermannus dicit valde frigere pro nova sententia adiectum καὶ μὴ χρείᾳ πολεμῶμεν, quod tamen nihil sit nisi pars eorum, quae per ἵνα adiuncta essent, vereor, ne hoc idonea ratione careat. Verba illa si ad ἵνα relata non frigebant, non magis nunc frigent, quum his annectuntur, ἄγε νυν σύ με; non magis frigent, quam si, deletis sententiis istis intermediis, solum legeretur: ἄγε νυν σύ με, καὶ μὴ χρείᾳ πολεμῶμεν. Immo quis dixerit potius: *faciam hoc, neve lucter cum necessitate*, quam: *faciam hoc, ne lucter cum necessitate.* Est enim haec natura rei tam, ut ita dicam, substantialis neque alii cuiquam subiecta sententia, ut belle ne possit quidem ab alia pendere ac secundaria esse. Quo minus eadem verba καὶ μὴ πολεμῶμεν dici possunt eorum pars esse, quae per ἵνα adiuncta erant. Sane talis pars essent, si coniunctivos in prioribus retineremus, sed falso essent ac malo ordine. Nunc, uti par est, primariam enunciationem efficiunt, quacum coordinata est illa, ἄγε νυν σύ με. Nam hic est legitimus totius sententiae ordo: παῖ, μὴ χρείᾳ πολεμῶμεν· ἄγε οὖν σύ με, ἵν' ἂν — τὸ μὲν εἰπόιμεν, τὸ δ' ἀκούσαιμεν. Quod si in his, uti Sophocli libuit, sententia *causalis* cum ea, quae *effectum* continet, per copulam καὶ coordinatur [ἄγε νυν σύ με, καὶ μὴ πολεμῶμεν], haec particula non sententiis copulandis inservit, sed verbis, atque dissolvi potest per ellipsin quandam: *et hoc addo.* Simillimus huius generis locus est in eadem hac fabula v. 277, ὥςπερ με κἀνεστήσαθ', ὧδε σώσατε, καὶ μὴ θεοὺς τιμῶντες εἶτα τοὺς θεοὺς μοῖραν ποιεῖσθε μηδαμῶς: quorum proprie hic ordo est atque series: μὴ τοὺς θεοὺς μοῖραν ποιεῖσθε μηδαμῶς· σώσατε μ' οὖν. Sed placuit poëtae has duas enunciationes arctius coniungere per particulam καὶ, quam explica fere: *et addo, ne deos negligas.* Atque cognoscitur hinc neque eam dubitationem veritate fundatam esse, quam praeter Hermannum etiam Reisigius hoc loco contra optativos attulit, contendens vinculum dissolutum esse in καὶ μὴ pro μηδέ, si iungantur ἄγε νυν σύ με, καὶ μὴ χρείᾳ πολεμῶμεν. Quum enim copula ad verba pertineat, negatio ad ipsam sententiam, sponte sequitur ambas disiunctas esse de-

bere. Omnino vero non video, cur si verba hunc in modum iungantur, *καὶ μὴ* sit falsum, sin iungamus *ἵνα τὸ μὲν εἴπωμεν, τὸ δ' ἀκούσωμεν καὶ μὴ πολεμῶμεν*, non falsum: aut enim utroque modo falsum est, aut neutro. Et sane neutro modo tam inauditum esset *καὶ μὴ*, ut cuiquam turbas deberet excitare. Nam exemplorum apud Graecos multitudo invenitur, ubi copula atque negatio separatae sunt. Unum est, quod supra citavimus, Oed. Col. 277; praeterea haec duo adscribam: Aristoph. Eccles. 1145, *οὔκουν ἅπασι δῆτα γενναίως ἐρεῖς καὶ μὴ παραλείψεις μηδένα*. Plat. Symp. p. 213, E, *καὶ μή μοι μέμφηται, ὅτι σὲ μὲν ἀνέδησα*. Vid. etiam Seidlerum apud Herm. ad Antig. 759. Venio ad grammaticam rationem optativorum. De qua quid dicam? nam sunt illi tam plane solemnes hoc loco ac paene quotidiani, ut Reisigii observationem non capiam: „nec vis subiectivae cogitationis ullo modo est expetenda." Adverbii *ἵνα* significatione *ubi* optativum cum *ἄν* esciscentis exempla permulta sunt, ut Theocr. XXV, 60, *ἐγὼ δέ τοι ἠγεμονεύσω αὐλιν ἐς ἡμετέρην, ἵνα κεν τέτμοιμεν ἄνακτα*. Eur. Iph. Aul. 1555, *ἱερεὺς ἐπεύξατο λαιμόν τ' ἐπεσκοπεῖθ', ἵνα πλήξειεν ἄν*. Elmsleius comparat etiam Oed. Col. 405, *τούτου χάριν τοίνυν σε προσθέσθαι πέλας χώρας θέλουσι, μηδ' ἵν' ἂν σαυτοῦ κρατοῖς*. Ita correxit Brunckius, receperunt Iacobsius Schaeferus Elmsleius, agnovit Matthiaeus in gr. §. 528, 2. At consentiunt omnes libri in coniunctivo *κρατῇς*: qui retinendus est, quoad bonum sensum suppeditat. Et quidem perbene ita explicari potest: *nolunt te esse, ubicunque sis tui iuris*. Optativi vis *ubi esse possis* hunc in locum plane non quadrat: nam aut *est* sui iuris, aut *non est*; hoc in terra patria, illud in peregrina. Itaque recte servarunt coniunctivum Hermannus et Reisigius, modo ne huncce cum nostro loco composuissent, qui diversissimi generis est neque *ubicunque* illud ullo pacto admittit. Pertinent autem ad nostrum locum etiam exempla, ubi οὗ aliave particula *ubi* significans cum *ἄν* atque optativo constructa est, ut Eurip. Or. 627, *ἔστι δ' οὗ σιγὴ λόγου κρείσσων γένοιτ' ἄν*. Cf. Aristoph. Nub. 1181. Atque optativi *εἴποιμεν* et *ἀκούσαιμεν ἄν* idem prorsus sunt quod futura, nisi quod per optativos, uti

mus vicissim et audiamus, neve necessitati reluctemur: quo quis meliorem atque elegantiorem requirat? Quod enim Hermannus dicit valde frigere pro nova sententia adiectum καὶ μὴ χρείᾳ πολεμῶμεν, quod tamen nihil sit nisi pars eorum, quae per ἵνα adiuncta essent, vereor, ne hoc idonea ratione careat. Verba illa si ad ἵνα relata non frigebant, non magis nunc frigent, quum his annectuntur, ἄγε νυν σύ με; non magis frigent, quam si, deletis sententiis istis intermediis, solum legeretur: ἄγε νυν σύ με, καὶ μὴ χρείᾳ πολεμῶμεν. Immo quis dixerit potius: *faciam hoc, neve lucter cum necessitate*, quam: *faciam hoc, ne lucter cum necessitate*. Est enim haec natura rei tam, ut ita dicam, substantialis neque alii cuiquam subiecta sententia, ut belle ne possit quidem ab alia pendere ac secundaria esse. Quo minus eadem verba καὶ μὴ πολεμῶμεν dici possunt eorum pars esse, quae per ἵνα adiuncta erant. Sane talis pars essent, si coniunctivos in prioribus retineremus, sed falso essent ac malo ordine. Nunc, uti par est, primariam enunciationem efficiunt, quacum coordinata est illa, ἄγε νυν σύ με. Nam hic est legitimus totius sententiae ordo: παῖ, μὴ χρείᾳ πολεμῶμεν· ἄγε οὖν σύ με, ἵν' ἂν — τὸ μὲν εἰπόιμεν, τὸ δ' ἀκούσαιμεν. Quod si in his, uti Sophocli libuit, sententia *causalis* cum ea, quae *effectum* continet, per copulam καὶ coordinatur [ἄγε νυν σύ με, καὶ μὴ πολεμῶμεν], haec particula non sententiis copulandis inservit, sed verbis, atque dissolvi potest per ellipsin quandam: *et hoc addo*. Simillimus huius generis locus est in eadem hac fabula v. 277, ὥςπερ με κἀνεστήσαθ', ὧδε σώσατε, καὶ μὴ θεοὺς τιμῶντες εἶτα τοὺς θεοὺς μοῖραν ποιεῖσθε μηδαμῶς: quorum proprie hic ordo est atque series: μὴ τοὺς θεοὺς μοῖραν ποιεῖσθε μηδαμῶς· σώσατε μ' οὖν. Sed placuit poëtae has duas enunciationes arctius coniungere per particulam καὶ, quam explica fere: *et addo, ne deos negligas*. Atque cognoscitur hinc neque eam dubitationem veritate fundatam esse, quam praeter Hermannum etiam Reisigius hoc loco contra optativos attulit, contendens vinculum dissolutum esse in καὶ μὴ pro μηδέ, si iungantur ἄγε νυν σύ με, καὶ μὴ χρείᾳ πολεμῶμεν. Quum enim copula ad verba pertineat, negatio ad ipsam sententiam, sponte sequitur ambas disiunctas esse de-

bere. Omnino vero non video, cur si verba hunc in modum iungantur, *καὶ μὴ* sit falsum, sin iungamus *ἵνα τὸ μὲν εἴπωμεν, τὸ δ' ἀκούσωμεν καὶ μὴ πολεμῶμεν*, non falsum: aut enim utroque modo falsum est, aut neutro. Et sane neutro modo tam inauditum esset *καὶ μὴ*, ut cuiquam turbas deberet excitare. Nam exemplorum apud Graecos multitudo invenitur, ubi copula atque negatio separatae sunt. Unum est, quod supra citavimus, Oed. Col. 277; praeterea haec duo adscribam: Aristoph. Eccles. 1145, *οὔκουν ἅπασι δῆτα γενναίως ἐρεῖς καὶ μὴ παραλείψεις μηδένα.* Plat. Symp. p. 213, E, *καὶ μή μοι μέμφηται, ὅτι σὲ μὲν ἀνέδησα.* Vid. etiam Seidlerum apud Herm. ad Antig. 759. Venio ad grammaticam rationem optativorum. De qua quid dicam? nam sunt illi tam plane solemnes hoc loco ac paene quotidiani, ut Reisigii observationem non capiam: „nec vis subiectivae cogitationis ullo modo est expetenda.“ Adverbii *ἵνα* significatione *ubi* optativum cum *ἄν* osciscentis exempla permulta sunt, ut Theocr. XXV, 60, *ἐγὼ δέ τοι ἠγεμονεύσω αὐλιν ἐς ἡμετέρην, ἵνα κεν τέτμοιμεν ἄνακτα.* Eur. Iph. Aul. 1555, *ἑρεὺς ἐπεύξατο λαιμόν τ' ἐπεσκοπεῖθ', ἵνα πλήξειεν ἄν.* Elmsleius comparat etiam Oed. Col. 405, *τούτου χάριν τοίνυν σε προσθέσθαι πέλας χώρας θέλουσι, μηδ' ἵν' ἂν σαυτοῦ κρατοῖς.* Ita correxit Brunckius, receperunt Iacobsius Schaeferus Elmsleius, agnovit Matthiaeus in gr. §. 528, 2. At consentiunt omnes libri in coniunctivo *κρατῇς*: qui retinendus est, quoad bonum sensum suppeditat. Et quidem perbene ita explicari potest: *nolunt te esse, ubicunque sis tui iuris.* Optativi vis *ubi esse possis* hunc in locum plane non quadrat: nam aut *est* sui iuris, aut *non est*; hoc in terra patria, illud in peregrina. Itaque recte servarunt coniunctivum Hermannus et Reisigius, modo ne huncce cum nostro loco composuissent, qui diversissimi generis est neque *ubicunque* illud ullo pacto admittit. Pertinent autem ad nostrum locum etiam exempla, ubi *οὗ* aliave particula *ubi* significans cum *ἄν* atque optativo constructa est, ut Eurip. Or. 627, *ἔστι δ' οὗ σιγὴ λόγου κρείσσων γένοιτ' ἄν.* Cf. Aristoph. Nub. 1181. Atque optativi *εἴποιμεν* et *ἀκούσαιμεν ἄν* idem prorsus sunt quod futura, nisi quod per optativos, uti

decet peregrinum senem et quasi mendicum, paulo submissius atque modestius loquitur Oedipus; vid. Matth. gr. §. 515.

Ad extremum moneo Reisigium falso cum scholiasta verba *εὐσεβίας ἐπιβαίνοντες* interpretari *pie incedentes;* quod esset *εὐσεβίᾳ ἐμβαίνοντες*. Genitivus pendet ab *ἐπὶ*, totumque recte Eustathius per circumloquutionem dictum sumit pro simplici *εὐσεβοῦντες*. Bene comparat Porsonus *δίξης ἐπιβάντες* Soph. Phil. 1449, Brunckius *μανίας ἔποχος λόγος* pro *μανικὸς λόγος* Eurip. Hipp. 213, Hellerus *ἀναιδείης ἐπέβησαν* Hom. Odyss. 22, 424. Itemque dicitur *εὐφροσύνης ἐπιβῆναι* Odyss. 23, 52, et multa alia.

Restat, ut aliquantulum commorer in verbis versus 195, *ἢ 'σθῶ*, quae et in libris multipliciter scripta sunt et viris doctis summum negotium facessiverunt. Vulgatam, quam hic posui, vix unus non deseruit interpres. Aut enim contraxerunt eam in *ἧσθῶ*, uti cum pluribus codd. fecere Turnebus Stephanus Canterus Heathius; aut scripserunt plenius *ἢ ἐσθῶ*, uti Brunckius et Schaeferus; aut *ἢ στῶ*, uti Reisigius Elmsleius Doederlinus Matthiaeus Dindorfius in Poët. Scen. Gr., faventibus cod. Laur. A, ubi adnotatum: *γράφεται ἢ στῶ, ὃ καὶ βέλτιον*, et codd. Par. F et T, ubi per manifestum errorem στ legitur *ἧστῶ* et *ἧσθῶ*; aut denique *ἐσθῶ*, uti sine codicibus Hermannus. Primarium est hoc loco, ut quaeratur, utrum *considamne* dicat Oedipus, an *consistamne*. Quaeritur igitur potissimum, utrum natura rei flagitet. Pater meus ad hunc locum: „Quid attinet," inquit, „quaerere Oedipum, an considat? quod qui quaerit, in animo habere solet contrarium, *considamne, an consistam:* quod ineptum est. *Consistamne* quaerere poterat in mente habens *an ulterius progrediar*, *πότερον στῶ ἢ προβῶ*, ut v. 175. Cui respondere poterat Chorus: *ne ulterius progredere, sed illo loco* contractus [Hor. Epist. I, 7, 6] *conside.*" Quae mihi verissime dicta esse videntur. Postquam Oedipus filiae se abducendum tradidit, pausa est tranquille progredientium, donec ad rude quoddam saxum perveniunt. Ibi subsistere senem iubet Chorus his verbis: *αὐτοῦ· μηκέτι τοῦδ' ἀντιπέτρου βήματος ἔξω πόδα κλίνῃς*. Quibus

non recte captis, Oedipus interrogat: *siccine*, iussui Chori non illico parens. Hermannus quidem hic talia contra monet: „cur interroget Oedipus, an consistere debeat, quum id eum facere non modo Chorus iam semel iterumque iusserit, sed factum esse etiam ipse indicaverit οὕτως interrogans? Constitit ergo.“ At primum haec ipsa res, quod Chorus iterum iubet consistere Oedipum, nihil clarius ostendit, quam hunc priori eius iussui non severe obediisse nec statim constitisse. Si enim revera iam constitit, obsecro, quam sit absurdum Chorum denuo clamare *sta*. Deinde qui fieri potest, ut vocabulum οὕτως Oedipum constitisse indicet. Quod nihil aliud indicat, nisi eum, qui ita interroget, inexspectatum aliquid audivisse. Oedipus quidnam audiverit, nec scio, nec scire attinet, sed perperam eum audivisse inde colligitur, quod Chorus iussum suum iam iterat: ἕλις, ὡς ἀκούεις. Atque hic, ut in viam revertar, perabsurdum esset, si Oedipus derepente quaereret: *considamne?* Quod qui quaerit, primum sciat necesse est esse, ubi considat, deinde ab alio in sedendo pendeat. Neutrum non est alienum ab Oedipo. Qui primum, praesertim caecus, nullo pacto sciebat locum, in quem pervenerit, talem esse, in quo sedere queat, et media in via profecto non poterat residere. Itaque si modo de consessu cogitabat, ita potius quaerendum erat: *estne, ubi considam?* Deinde quid tandem ad Chorum, utrum consideret Oedipus, nec ne? et quid esse causae poterat, cur Chorus sessioni adversaretur? Per totam fere tragoediam Oedipus senilis atque caducus sedet: attamen neque ante neque post unquam Chorum primum hac de re consulit. Longe alia res est, si Oedipus ad Chorum dicit: *consistam?* modo ne id intelligatur: *soll ich still stehen?* sed, magis ut sit dubitantis, quam interrogantis: *ich soll still stehen?* Nam sicubi Chorus iterum iussit consistere Oedipum, hic quoque, quo exploratior sibi res sit, iterum interrogat: *nonne consistam?* Videlicet ἦ στῶ plane idem est ac si poëta dixisset: στῶ· ἦ γάρ; Quibus praeclare conveniunt, quae a Choro iam respondentur: *sane vero, et quidem in superiore parte saxi humilis considens.* Manifestum est igitur natura rei Oedipum non dicere *considamne*, sed *consistamne*. Atque hinc sponte sequitur recipien-

dum esse ἦ στῶ. Conficit rem, quod, sive ἦ ᾽σθῶ sive ἧσθῶ sive ἑσθῶ scribamus, et sive neutrali sive passivo sensu illa sumamus, forma comparet vocabuli nova prorsus atque inaudita quaeque hoc solo loco a Graeco usurpata esse non potest. Etiamsi enim poëtis ipsorum verborum rariorum atque exquisitiorum usus facile condonandus est, quoniam paulo rariores poëtarum res sunt, atque res rariores verba quoque rariora poscunt: tamen certi sunt ac consuetudine stabiliti cuique dialecto casus, modi ac tempora verborum, neque in his formis poëtica oratione aliud quidquam efficitur nisi dialectorum commutatio. Quodsi illud ἧσθῶ vel ἑσθῶ etiam ad aliam dialectum pertinens aliquantulum suspectum esset, quia praeterea nusquam apud Atticos inveniretur, quaero, quanto suspectius idem atque intolerabilius esse oporteat, siquidem neque ab Atticis neque ab epicis neque a Doricis unquam agnoscitur, sed vel compositum ἐκαθέσθην apud seriores tantum ac peiores scriptores exstat. Vide Thom. Magist. p. 483, Phrynichum p. 269, Reisigium ad h. l., Matthiaeum ad Eur. Hec. 160 et in gr. gr. §. 231. Neque Hermannum credo cuiquam esse persuasurum priores duos grammaticos ll. cc. aliud quidpiam docuisse, quam ἐκαθέσθην, et quae sunt eiusdem temporis, usquequaque, seu neutrali seu passiva significatione, ἔκφυλα esse atque βάρβαρα. Inprimis ἧσθῶ plane est nequam ac futile, et propter formam et propter sensum: illam iam Brunckius tamquam mutilam et ne Graecam quidem damnavit, hic, etiamsi poëta de consessu Oedipi loqueretur, perfectum saltem desideraret, sicut exstat Eur. Helen. 1084, ἢ ἥσυχοι καθώμεθα; Demosth. Phil. 1, 53, in. ἂν μέντοι καθώμεθα οἴκοι. Cf. Antig. 407. Pariterque pro ἑσθῶ poëtam potius perfectum positurum fuisse existimo, si utique hac de re quaereret Oedipus. Nec formae ἑσθῶ et ἧσθῶ ab ullo alio vel grammatico vel lexicographo commemorantur, sed omittuntur, ut deficientia. Quae quum ita se habeant, apparet nobis ad ἦ στῶ confugiendum fore, etiamsi reliquae codicum scripturae stare per sensum possent. Quod quum a sensu quoque spernantur, contraque ἦ στῶ ei prorsus conveniat, vix amplius dubium est, quin ἦ στῶ unice verum sit et a poëta scriptum. Quid au-

tem verisimilius est, quam librarium, qui statim post de sessione Oedipi sermonem esse videret neque ἥ στῶ satis intellexisset, suae aetatis consuetudinem loquendi ad antiquiorem quoque transferentem immutavisse ἧ ᾽σθῶ?

§. 31.

Aggredior locum, de quo ipso quoque olim in Societate Graeca Lipsiensi sententiam meam qualemcunque exposui. Quae quamvis tunc Hermanno Praesidi Illustrissimo prorsus improbaretur, tamen mirabili quadam pervicacia factum est, ut, quo magis mihi de veritate eius persuasum sit, eo minus adhuc consilium abiicere potuerim illam demuo in lucem proferendi. Quum enim tunc et levius ac festinantius, et, ut videtur, parum diserte atque obscurius disputavissem, sperabam fore, ut repulsam forsan minus acerbam ferrem, si quae tunc orationis brevitas ac tarditas obscuravisset, nunc clarioribus et copiosioribus verbis repeterem. Atque haec singularem in modum erecta atque confirmata spes est, quum his diebus Doederlini, quem tunc adire neglexeram, adnotationes inspiciens plane eandem ab hoc, sed parum confidenter, explicandi viam monstratam esse inveni. Locus, quem dico, est in huius tragoediae versibus 1083—86, ubi, Antigona et Ismena a Creonte raptis, et Theseo cum militibus ad liberandas illas celerrime insecuto, Chorus exitus proelii cupidissimus ita loquitur:

εἴθ᾽ ἀελλαία ταχύῤῥωστος πελειὰς
αἰθερίας νεφέλας
κύρσαιμι᾽, αὐτῶν δ᾽ ἀγώνων
θεωρήσασα τοὐμὸν ὄμμα.

Ita veteres libri omnes. Quo aegrius credas locum, quia ex difficilioribus est, ab omnibus firmissime pro corrupto habitum atque innumeras interpretum correctiones expertum esse. Quarum ne unam quidem bonam ac Sophocle dignam esse et alii monuerunt et ego contendo. Nec mirum. Quum enim commentatorem, non correctorem locus requirat, dilucidum est lapidem verberavisse, quicunque in emendando eo operam navaverint. Haec certa mihi ac definita sunt. Primum θεωρεῖν non *activa*, quod inauditum esset, sed consueta vi *spectandi*

exstat. Exemplis Thucydidis, quae affert Hermannus, nihil convincitur: nam neque θεωρεῖν ibi est θεωροὺς πέμπειν [vid. Excursum II], neque, si esset, inde sequeretur θεωρεῖν ὄμμα esse *oculum contemplatione oblectare*. Deinde genitivi νεφέλας et ἀγώνων non prior locum significat, *e* quo quid fiat, alter elliptice positus est: quae non minus a natura rei, quam a loquendi consuetudine abhorrent: sed ambo unice et proxime reguntur a verbo κυρεῖν. Denique non potest ex eodem verbo κυρεῖν transitivum aliquod verbum, ut μέτοχον ποιεῖν ad τοὐμὸν ὄμμα suppleri: quod neque zeugma est neque Graecum neque omnino eiusmodi, ut fieri queat. Quid plura? omnia ista remedia quaesitiora sunt et artificiosiora, quam quae non prae se ferant inanitatem suam et quae non locum etiam impediliorem reddant, quam sponte ac per se est. Quin, hunc in modum si explicandus locus esset, tum demum instam suspicionem moveret. Illa autem si certa sunt, haec duo alia efficiuntur, prius, κύρσαιμι non, ut τύχοιμι, cum participio θεωρήσασα esse iunctum, alterum, τοὐμὸν ὄμμα non accusativum, sed nominativum esse. Quaeritur, quo pacto haec omnia ita iungantur, ut aptus atque concinnus sensus prodeat. Finge tibi scripsisse Sophoclem: εἰθ' ἀελλαία ταχύῤῥωστος πελειὰς αἰθερίας νεφέλας αὐτῶν τ' ἀγώνων κύρσαιμι: *utinam rapida celerivola columba aetheream nubem atque ipsum certamen assequar*. Quae est prorsus talis sententia, qualem optamus, et quali Sophoclem hoc loco usum fuisse necesse est. Atqui *primum* diversis modis dicebatur κυρεῖν νεφέλας et κυρεῖν ἀγώνων. Prius proprie dicebatur, alterum minus proprie: nam *nubem* columba ipsa assequitur, *pugnam*, e nube inspectans, nonnisi oculis. Itaque poëta evidentiae causa adiecit, quo posterior locutio a priore discrepabat, θεωρήσασα. Est autem θεωρήσαντα κῦρσαι plane, quod Latini dicunt *visu* vel *acie assequi*, *prehendere* i. e. *intueri*. Habemus igitur: *utinam columba nubem assequar atque ipsum certamen intuear*. *Deinde* si tenuisset Sophocles αὐτῶν τ' ἀγώνων, indicasset eodem modo et nubem et certamen assequi velle Chorum. Quod fieri nequit; sed nubem vere vult assequi, certamen nonnisi oculis. Itaque adhibuit ille pro copula, qua diversos modos

assequendae nubis et assequendi certaminis esse significaret, particulam δέ. Quod neque Latina neque vernacula lingua, multo egentiores illae quidem ac particularum negligentiores, distinguunt. *Denique* Sophocles linguae suae consuetudini indulsit. Quum enim proprie non ipse homo, sed eius oculi aliquid intueantur, ad subiectum ἐγὼ, quod latet in θεωρήσασα κύρσαιμι per appositionem usitatissimam addidit τοὐμὸν ὄμμα, cuius beneficio, si licuisset, Chorus proelium esset intuitus. Huius σχήματος καθ' ὅλον καὶ κατὰ μέρος, quod vocant, tam innumerabilia apud Graecos exempla exstant, ut incredibile sit omnium interpretum solum Doederlinum illud hoc loco vidisse. Vid. Matth. gr. §. 389, h. §. 421, *Anm.* 3. §. 432, 3. Opportunissimum exemplum est, quod Doederlinus citat ex Aeschyli Prometheo v. 902, μηδὲ κρεισσόνων θεῶν ἔρως ἄφυκτον ὄμμα προσδέρκοιτό μι. Habemus autem nunc ea, quae Sophocles scripsit, plana ac perspicua hoc sensu: *utinam rapida celerivola columba aetheream nubem assequar atque ipsum certamen oculis meis intuear.* — Scio non defuturos esse, qui affectatam hanc explicandi loci rationem atque contortam vocent: tamen tota Graecorum consuetudini loquendi tam praeclare respondet, ut eo magis sit amplectenda, quo sanctior lex est omnia quaeque tentandi, priusquam locus pro corrupto habeatur. Ultima ista verborum τοὐμὸν ὄμμα explicatio exemplis munita est. Nec dubito, quin etiam ad priores duas rationes confirmandas quilibet scriptoribus graecis familiarior permulta exempla in promtu habeat. Metro vero ad corrigendum locum non moveor. Quod quamvis certum sit, tamen scriptura αὐτῶν δ' etiam certior et omnium librorum auctoritas etiam gravior metro. Verum est quidem secundam versus iambici sedem purum iambum desiderare, et vero etiam pro tali agnosci posse antistrophicum διπλᾶς, quod ea vox primam ancipitem habeat, tamen lectionis αὐτῶν δ', quae etiam sensui accommodatissima est, firmitas ac praestantia me adducit, ut versus 1095 et 1096 aut ex molosso et epitrito primo constare putem, aut pro Anacreonteis habeam, de quibus videndus Hermannus Elem. doctr. metr. p. 473 sqq. Ita supersedemus correctione interpretum τῶνδ', quae mihi insuper ne apta quidem esse videtur.

Restat, ut de „triplici stribligine“ verbum faciam, cuius Reisigius vulgatam huius loci scripturam insimulavit. Quae partim falso fundamento nitens vana est et aliena, partim iam eruditissime remota a Doederlino. Ac *primum* quidem θεωρεῖν an genitivo iungi possit, ipse dubito. Sed neque cogitavit quisquam ita iungere: pendet enim ἀγώνων, ut iam Heathius perspexit, a κύρσαιμι. *Deinde* Reisigius praeceptum quoddam Porsoni occinens condemnat femininum θεωρήσασα, quod viri de se loquentes inepte adhibeant: nam spectationem proelii nullam columbae similitudinem obtinere, cuius tantum cum aetherio volatu comparatio fiat. His, vide, quae excellenter respondet Doederlinus in edit. Erfurdt. p. 490. Nam nisi in columbam mutatus, neque spectare proelium poterat Chorus. Et si, simul nubes assecutus, rursus humanam formam induisset, profecto Icari et Vulcani instar pessime de coelo se praecipitasset. Quod autem tertio loco ponit Reisigius, ὄμμα non posse pro ὄμματι usurpari: neque hoc quisquam postulavit. Heathius quidem si iussit κατὰ ad τοὐμὸν ὄμμα suppleri, hoc, credo, voluit, τοὐμὸν ὄμμα eodem hic modo dici, quo alias dicant Graeci κατὰ τοὐμὸν ὄμμα: quamquam fecisset melius, si ὄμμα nominativum esse docens fontem locutionis indicavisset. Et si qui interpres τοὐμὸν ὄμμα vel latine vertit: *meis oculis* vel germanice: *mit meinen Augen*, utriusque linguae indoles atque ingenium hanc necessitatem imponit. Quum enim harum neutri ista quaedam epexegesis cognita sit, qua apud Graecos nihil frequentius, imitanda est illa ea quaque loquendi ratione, quae ei potissime respondet. Atqui nullas inter loquendi formas maior est similitudo, quam inter eam, qua Graeci dicunt θεωρῶ τι τοὐμὸν ὄμμα, et eam, qua Latini *intueor aliquid oculis meis*. Amborum enim illud commune est, ut per epexegesin quandam atque diligentiam dicendi ea pars hominis addatur, cuius proprium est θεωρεῖν et *intueri*. Itaque res ita se habet: quod Graecis: εἴθε πελειὰς αὐτῶν ἀγώνων θεωρήσασα κύρσαιμι τοὐμὸν ὄμμα, plane idem Latinis est: *utinam columba ipsam pugnam oculis meis intuear*. Quartum vulgatae lectionis vitium ipse Doederlinus adiungit, in eo situm illud, quod, neque metro neque periodi vel amplitudine vel ar-

tificio urgente, tamen participium per particulam δὲ verbo finito annectatur. At per hanc particulam non participium verbo finito, sed verba αὐτῶν ἀγώνων verbis αἰθερίας νεφέλας adiunguntur, et participium sponte cohaeret cum verbo finito κύρσαιμι, quod ad ἀγώνων cogitatione repetendum est. Nunc autem particulam δὲ virtuti potius, quam vitio esse orationi supra demonstratum est. Et qui meminerit illam saepissime, inprimis apud antiquiores, pariter ac τε copulationi inservire, is multo magis tunc ei applaudet, quum, ut nostro in loco, vi copulandi simul propria eius vis adversativa adspersa est.

§. 32.

V. 1220 sqq. Chorus vanitatem vitae cantans eum inprimis hominem stultum esse dicit, qui vitam quam longissimam appetat. Nam „gaudia," inquit, „non videas,

ὅταν τις ἐς πλέον πέσῃ
τοῦ θέλοντος, οὐδ' ἔπι κόρος,
ἰσοτέλεστος Ἄϊδος ὅτε μοῖρ'
ἀννμέναιος ἄλνρος ἄχορος
ἀναπέφηνε
θάνατος ἐς τελευτάν.

Haec est vulgata lectio, nisi quod perperam in libris interpungitur, et malo accentu passim scriptum est οὐδ' ἐπὶ κόρος. Solus Elmsleius huius loci prudens et iudex et interpres exstitit, vulgatam non tantum servans, sed etiam verissime explicans. Quocum in universum sentit Doederlinus, sed in ἰσοτέλεστος aliquantulum lapsus. Omnes reliqui aut coniecturis temere oneraverunt locum aut in interpretationes inciderunt mancas et alienas. Sanissimus locus est neque emendatore indiget, verum interprete. Neque attinet coniecturas aliorum refellere, quum vanae atque inanes omnes sint. Ac primum corrigendi sunt ii, qui *metrum* vulgatae vitiosum esse existimarunt. Ad hos pertinet, quod notat Elmsleius: „Verba οὐδ' ἔπι κόρος dipodiam trochaicam conficiunt, cui respondet τε κατάμεμπτον v. 1236." Videlicet versus dimeter trochaicus est, cuius in stropha ultimus, in antistropha paenultimus pes solutus est. Deinde frustra Musgravius infestat verba ἐς πλέον τοῦ θέ-

λοντος, quae non intellexit. De iis consule Hermannum. Nam et τὸ πλέον et τὸ θέλον, loco sunt substantivorum, quorum a priore alterius genitivus regitur. Porro οὐδ' ἔπι κόρος, quae verba praecipue vexavere docti, posita esse pro οὐδ' ἐπῇ κόρος vix operae pretium est commemorare. In reliquis haec est necessaria et vero etiam simplicissima construendi ratio: ὅτ' ἰσοτέλεστος Ἄϊδος μοῖρα θάνατος ἀναπέφηνεν ἐς τελευτάν. Ἐς τελευτὰν consilium indicat: *ad finiendam vitam*, ut εἰς κέρδος τι δρᾶν Soph. Phil. 111, ἀσιτεῖν εἰς ἀπόστασιν βίου Eur. Hippol. 276; vid. Matth. gr. p. 1145. Θάνατος explicationis causa appositum est ad ἰσοτέλεστος Ἄϊδος μοῖρα: *das Loos der Schatten, nämlich der Tod.* Saepius, ut cum Doederlino loquar, metaphoris additur ad calcem propria notio, ut Aesch. Theb. 207, ἱππικῶν ἀΰπνων πηδαλίων διὰ στόμια πυριγενετᾶν χαλινῶν. Μοῖρ' Ἄϊδος, *sors Orci*, dictum est, ut μοῖρα θανάτου Aesch. Pers. 920 et Eur. Med. 76. Quae μοῖρα ἰσοτέλεστος dicitur, non quo *Parcae* persona effingatur *omnibus idem tributum imponentis*, id quod male quibusdam placuit, sed quia *sors mortis omnibus aeque tributa* vel *destinata* h. e. omnibus communis *est*. Haec est significatio, quae et sententiae loci et compositi naturae maxime conveniat. Τελεῖν τινί τι centies dicitur *parare* sive *tribuere* alicui aliquid, ut γῆρας Hom. Odyss. 23, 286, κακὸν Iliad. 18, 389, λυγρὰ Odyss. 18, 134, κακὰ κήδεα Il. 18, 8. Habemus autem similem mortis designationem in Soph. Antigona 805, ubi Orcus παγκοίτης appellatur, et Horat. Od. I, 4, 13, *Mors aequo pulsat pede pauperum tabernas regumque turres.* Hac via iam hunc loci sensum adipiscimur: *gaudia non videas, ubi quis nimiam in vivendi cupiditatem incidit et ne tum quidem satiatus est, quum sors omnibus aeque parata Orci mors apparet finitura vitam.* Optimam ac venustissimam sententiam, quam, absit, ut emendare velimus. Hermannus quidem ineptam eam vocat, quia comprehensa paucis evadat ita: *non vivit iucunde, qui non satiatur vivendo, quum est moriendum.* At duo sunt necessaria, ubi hanc συγκοπην sententiarum normam vis esse, ad quam bonitas earum ac sanitas exigatur, prius, ut recte illa ac probe fiat, alterum, ut hoc

modo praecisa aeque ac iuste iudicentur. Neutrum mihi videtur ei contingere, qui ineptam hanc Sophoclis sententiam vocat. Nam quid est tandem, quod tam sit absonum in *non vivit iucunde, qui non satiatur vivendo, quum est moriendum?* Subitam quidem mortem non dici, sed eam, quam senectus afferat, ideoque *moriendum est* idem esse atque *senectus mortem affert* sponte intelligitur. Quid autem verius, quam nil nisi dolores experiri, qui vitam ad senectutem avide ac furiose quasi hauriat ac perpotet? et quid aptius, quam hoc dici eo loco, ubi de inanitate vitae agitur ac de stultitia eorum, qui longissimam concupiscant? Tamen una re laborat dictum istud: est enim non satis planum, distinctum ac definitum. Atque eius rei, peropportune cadit, ut hoc solum culpam sustineat, quod *συγκοπὴ* totius sententiae non iusta via facta est. Nam sic potius fieri debet: *non vivit iucunde, qui non satiatur vivendo, ne quum est moriendum quidem.* Scilicet haec est primaria enunciatio: *τὰ τέρποντα οὐκ ἂν ἴδοις ὅπου, ὅταν τις ἐς πλέον πέσῃ τοῦ θέλοντος*, reliquis nihil nisi gradationem continentibus, quae etiam ita exprimi potuisset: *ὥστε μηδ' ἔπι κόρον, ἰσοτ. Ἅιδ. ὅτε μοῖρ' ἀναπέφηνεν, ita ut ne tum quidem satiatus sit, quum mors apparet.* Patet iam, quam non modo aptissime, sed etiam elegantissime enunciata sint ea, quae vulgata scriptura continet.

Ad finem moneo in versu 1219 praeter Brunckium neque me iis adstipulari, qui *λύπας* pro genitivo habent a comparativo pendente. Nam quum omnino sensus, qui iam exsistit, *multa iam longior vita propius dolori admovit*, insolentior est atque obscurior, inprimis propter *πολλὰ*, cuius loco poëta saltem *πολλοὺς* debebat ponere, tum *κατατίθεσθαι* neque unquam neque ullo pacto significat *admovere*. Iacobsii explicatio atque cognata huic Elmsleii, quorum alter *λύπας ἐγγυτέρω* pro *λύπην μᾶλλον ἢ ἡδονὴν ἔχοντα*, alter pro *λύπας μετέχοντα* dictum esse existimat, apertius ferunt calamistri vestigia, quam ut non primo statim intuitu repudientur. *Λύπας* est accusativus, *πολλὰ* adverbium, et *κατέθεντο* significat *deposuerunt, excusserunt*, similitudine, ut videtur, ab arboribus petita, quae fructus temporis longinquitate maturatos exuunt atque de-

ponunt. Sic dicitur in eadem hac fabula v. 227, ἃ δ' ὑπέσχεο, ποῖ καταθήσεις, proprie: *quo depones*, hoc est, *quomodo praestabis, servabis*, nimirum propter pecuniarum similitudinem, quae deponendo ac reservando coluntur. Admissa est autem hoc loco, quae in universa lingua graeca maximas partes obtinet, duarum sententiarum confusio, quae sunt: πολλὰ μὲν αἱ μακραὶ ἁμέραι κατέθεντο δὴ λύπας, et, πολλὰ μὲν δὴ αἱ μακραὶ ἁμέραι λύπας ἐγγυτέρω προσήγαγον vel tale quid. Quibus conflatis in unam sententiis, hic sensus prodit: *saepe iam longior vita mala excutiens propius adduxit*, vel paucioribus verbis, *saepe iam longior vita mala tulit.*

§. 33.

V. 1488 sqq. Oedipus mortem appropinquare sentiens Theseo cupit ex tot acceptis beneficiis gratias postremas agere. Itaque Chorus regem appellans:

ἰὼ παῖ βᾶθι, βᾶθ'· εἶτ' ἄκραν
ἐπὶ γύαλον ἐναλίῳ
Ποσειδαωνίῳ θεῷ τυγχάνεις
βούθυτον ἑστίαν ἁγίζων, ἵκου.
ὁ γὰρ ξένος σε καὶ πόλισμα
καὶ φίλους ἐπαξιοῖ
δικαίαν χάριν παρασχεῖν παθών.
ἄϊσσ', ὦ ναῦ.

Sic vulgo editur haec cantiuncula. In qua plus una menda delitescere omnes interpretes intellexerunt atque eo certius est, quum simul et metrum et sensus et usus loquendi hac in re prorsus consentiant. Primum insigne vitium est particulam εἶτε, cui natura rei nunquam non altera distributiva respondet, hoc loco nullam habere sibi respondentem. Quocum haec alia cohaeret maxima difficultas, quod verba ἄκραν γύαλον, sicut in codicibus exstant, consociari nullo pacto possunt, tum propter genus tum propter significationes amborum contrarias prorsus et adversarias: ἄκρος enim est *altus*, γύαλον *vallis*; et etiamsi *alta vallis* unquam audita esset, tamen certe ἄκρον poëtae usurpandum fuisset. Hos igitur ut evitarent scopulos, varias vias iniverunt interpretes. Heathius cum eoque Brunckius

ac Schaeferus scripserunt ἐπ' αἰγιαλὸν, ἄκραν referentes ad sequens ἑστίαν. Sed primum quid est tandem ἄκρα ἑστία? *extrema* vel *summa ara?* At non summa pars arae, verum tota ara consecrabatur. Deinde etiamsi lenissima medela scribi posset ἄκρον, ita ut *in extremo litore* sacra fecisse diceretur Theseus, tamen incredibile esset tam prorsus facilem scripturam ἄκρον ἐπ' αἰγιαλὸν a librariis mutari potuisse in talem, qualem codices omnes exhibeant. Denique vero ne lucramur quidem quidquam hac tota emendatione, quae insuper metro obstat: manet enim gravissimum malum, solitudo particulae εἴτε, quae sustineri nequit. Hoc malum priusquam sublatum est, vana sunt, quaecunque ad singula verba corrigenda fiunt. Vanum est enim in mobili fundamento atque soluto exstruere trabes. Itaque mitto Musgravii Ἀγρᾶν vel Ἀρᾶν, Elmsleii ἐπίγνον et alia aliorum singula ac πάρεργα. Primus Reiskius ad sublevandam aegrotam particulam animum appulit, sed modestior ille quidem ac temperantior, quum post ἰὼ παῖ aliquid excidisse crederet. Quem sequens Hermannus eodem loco signa lacunae posuit, putans tale quid excidisse, etiam metro arguente: εἴτε ἄλλοθι, ita ut sensus sit: *sive alibi es, veni, veni, sive in summa campi parte Neptuno aram sacrans, ades.* De metro posthac. Interea nego ante βᾶθι βᾶθ' istius modi sententiam *sive alibi es* praecedere posse. Est enim illud βᾶθι βᾶθ' universe dictum hoc sensu: *veni, veni, ubi sis cunque.* Huic demum universali sententiae angustior accuratiorque subiungitur his, corruptis quidem, verbis: εἴτ' ἄκραν ἐπὶ γύαλον ἐν. Ποσειδ. θεῷ ἑστίαν ἁγίζων τυγχάνεις, ἵκου. Hinc sponte intelligitur priori isti sententiae generali non posse tale quid singulare admisceri, εἴτε ἄλλοθι: nam continet illa iam per se omnes singulos locos, ubi Theseus versari potuerit. Ad haec immanem in modum friget illud *sive alibi es*, nec mihi persuadeo poëtam propter tam miseram disiunctionem opera particulae εἴτε usum fuisse. Neque probabile est, quod Doederlinus commendat, βᾶθ', εἴ τ' ἄκραν, hoc est, βᾶθ' ἵκου τε, εἶ. Nam primum male per τε copulantur βᾶθι et ἵκου, quorum non alterum alteri tanquam novum quid additur, sed alterum cum altero commutatur rhetorico quodam artificio. Deinde non

apte dicitur: *veni, si Neptuno sacrificas;* quasi ita tantum veniendum sit Theseo, si sacra Neptuno faciat. Elmsleium, qui nescio qua machina in verbis βᾶθι βᾶθι subaudiri iubet ἐξ οἴκων, satis iam refutavit Hermannus. Restat igitur, ut nostram de hoc loco sententiam aperiamus, quae haec est. Particulam εἴτε respondere alteri particulae disiunctivae prorsus est necessarium. Nec quidquam usui huius particulae accommodatius est, quam diversa atque opposita vel verba vel res: neque enim quidquam maiore iure disiungitur, quam eadem. Quid igitur verisimilius est, quam hoc loco disiuncta fuisse a poëta ea, quae natura sua disiuncta sunt, ἄκραν et γύαλον? Quae ratio non tantum sensui loci commodissima ac fructuosissima est, sed etiam propterea maximam commendationem habet, quia, quoquo te vertas, nullo pacto possunt *coniungi* ἄκραν γύαλον propter naturam *disiunctam*. Itaque pridem sum toto pectore amplexus ingeniosissimam coniecturam Reisigii, qui ita scribit: ἰὼ παῖ, βᾶθι βᾶθ', εἴτ' ἄκραν ἢ 'πὶ γυάλων, et quae sequuntur, *sive in iugo montis sive in valle forte sacrifices:* modo retineas vulgatum γύαλον, quod neque causa est cur in γυάλων immutetur, et si immutaretur, certe etiam scribendum esset ἄκρας. Illud autem ἢ 'πὶ γύαλον mirum quantum repente toti loco lenissimum in modum medeatur, non solum prorsus satisfaciens particulae εἴτε, sed etiam difficultatem istam tollens vocabulorum ἄκραν et γύαλον. Hoc ἢ 'πὶ quam facile a negligentibus librariis in ἐπὶ corrumpi potuerit, non est, quod multis demonstretur. Sensus inprimis quantum hac emendatione lucrum faciat, in promtu est. Iam etiam illucescit, quid scholiastes sibi voluerit hac adnotatione: ἢ ἐπὶ πρὸς τὸ ἄκραν, ἵν' ᾖ, ἐπ' ἄκραν πέτραν. Qui si, quod credidisse videntur plerique, hoc voluisset, ἄκραν ἐπὶ γύαλον idem esse quod ἐπ' ἄκραν πέτραν, profecto vir bonus non tantum stultior stulto fuisset atque imperitior, quam dici potest, siquidem et γύαλον esse somniavisset πέτραν et femininum cum masculino iunxisset, sed etiam docuisset lectorem, quod puer quisque sciat, praepositionem ad utramque vocem, et adiectivum et substantivum, pertinere. Sed hoc nimirum dixit poëtam bene divinans scholiastes, ἄκραν significare ἄκραν πέτραν, et praepositio-

nem ἐπὶ, quae poëtico more alteri demum substantivo γύαλον adiuncta sit, etiam ad prius pertinere ἄκραν. Ita quis scit, an iam scholiastes ille veram scripturam ἢ ᾽πὶ ante oculos habuerit. Lepidum est, quod alii nescio cui scholiastae in mentem venit, cuius hanc e codice Ms. Laurentiano notam exscripsit Elmsleius: γύαλον] Ἀντὶ τοῦ πέτραν, atque etiam magis lepidum haec baronis verba temere et inconsiderate imitatum esse Suidam his: ἄκραν ἐπὶ γύαλον. ἐπ᾽ ἄκραν πέτραν. Qua in re non sine gloria praeiverunt editio Romana atque Brunckiana, quae scholion illud, quod nasutum aliquem, veri scholiastae pessimum interpretem, agglutinavisse quovis pignore contendo, plane omiserunt.

Supersunt iam haec huius loci memorabilia. Εἴτε et ἤ excipere sese posse sine causa negavit Bothius. Plura huius generis exempla congessit Matthiaeus in gr. §. 617, 5, p. 1254; vid. etiam Schaeferum in Melet. I, 5, et Lobeckium ad Aiac. p. 245. Deinde frequentissimus poëtarum mos est praepositionem ad duo simul nomina pertinentem eorum alteri demum apponendi, ut in ἄκραν ἢ ἐπὶ γύαλον, quod est, ἐπ᾽ ἄκραν ἢ γύαλον. Etiam huius moris exempla multa suppeditat Matth. gr. §. 595, 3; quibus adde Oed. Col. 1557, Oed. Tyr. 754, Phil. 1295 sq., ibid. 1370, Eur. El. 162 sq., Iph. Aul. 209. Porro hoc loco praepositio ἐπὶ significans locum, *ubi* quid fiat, non, ut solet, cum genitivo vel dativo construitur, sed cum accusativo. Quod fieri posse, nisi, quod hic non possit, ἐπὶ explicetur *per*, negat Reisigius. Et ego quoque sic arbitror, ἐπὶ per se ista significatione non magis posse cum accusativo construi, quam εἰς, ubi eundem casum asciscit, proprie significat ἐν. Tamen hoc fit in utraque praepositione, duabus sententiis in unam mixtis. Nam et παρεῖναι εἴς τινα τόπον pro ἔν τινι τόπῳ saepissime dicitur, ubi compositum hoc est ex ἐλθεῖν εἴς τινα τόπον, et, παρεῖναι ἐν αὐτῷ, et θύειν ἐπί τινα τόπον perbene usurpatur pro ἐπί τινος τόπου, si natum est illud ex ἐλθόντα ἐπί τινα τόπον θύειν ἐπ᾽ αὐτοῦ. Eiusdem generis est ἵζεσθαι ἐπί τι Herod. II, 55, VIII, 52; θάσσουσ᾽ ἐπ᾽ ἀκτάς Eur. Iph. Aul. 796. Atque sic etiam noster explicandus locus est, ubi poëtae verba ex

hoc fere fonte emanaverunt: εἴτ' ἄκραν ἢ 'πὶ γύαλον ἐλθὼν ἑστίαν ἀγίζων τυγχάνεις. Denique idem Reisigius correxit *γυάλων*, negans hanc vocem, quum locum cavum latiorem significet, numero singulari usurpari posse. Atque hoc quidem verum est, plerisque in locis, ubi *γύαλον* hac vi legatur, numerum eius pluralem exstare. Tamen primum fere in omnibus istis locis etiam de *vallibus* sermo est; deinde, si pluralis frequentior est singulari, hinc nondum sequitur singularem, ubicunque reperiatur, falsum esse. Exempla singularis apud Homerum multa sunt, apud Sophoclem in praesenti unius memini Philoct. 1070, *ὦ κοίλας πέτρας γύαλον*. Ubi etsi de loco cavo angustiore agitur, tamen non capio, qui amplitudo loci vel maior ambitus efficere pluralem possit: nam manet *unus*, quamvis amplissimus, et poscit pluralis *plures*. Nec puto crebritati isti pluralis *γύαλα* aliud quidquam subesse nisi morem poëtarum pervulgatum ac tritum, quo generatim loquentes ad designandum unum pluralem ponunt. Cuius moris speciosam causam monstrat Aristoteles 3, 6, *εἰς ὄγκον τῆς λέξεως συμβάλλεται τὸ ἓν πολλὰ ποιεῖν*, et Longinus 23, *τὰ πληθυντικὰ μεγαλορρημονέστερα*. Sic usitata vox tragicorum, sed qua plerumque *unum* tantum hominem significant, est *τὰ φίλτατα*: tamen quis hanc ob causam singularem damnaret, sicubi reperiretur. Itaque non est, cur in singulari *γύαλον* offendamus. Immo laudandum est poëtam concinnitatis tam memorem fuisse et, quoniam *ἄκραν*, non *ἄκρας*, dixerat, etiam *γύαλον* singulari numero usurpavisse.

Transeo ad reliquam partem huius antistrophae. Hic primum lenissima mutatione *ἁλίῳ* scribendum puto pro *ἐναλίῳ*, quod metro dochmiaco repugnat. Vix enim dubium est, quin sint dochmiaci et hic et reliqui versus carminis praeter 1492 et 1493, qui sunt unus isque tetrameter iambicus. Potuit autem *ἁλίῳ* facillime et ex *γύαλοναλίῳ* et propter *ἐναλίῳ θεῷ*, quod legitur v. 892, in *ἐναλίῳ* corrumpi. Deinde cum codice Vaticano scribendum est *Ποσειδωνίῳ*, quae est forma huius nominis et consuetissima et metro dochmiaco aptissima. Vanum est Seidleri *Ποσειδανίῳ*. De *Ποσειδωνίῳ θεῷ* perdocte exponit Doederlinus. Porro sine omni necessitate Hermannus

verbum τυγχάνεις exstinxisse mihi videtur. Quod ut a poëta sine detrimento sensus etiam omitti potuerit, tamen, quum exstet atque tam metro quam sensui omnino congruat, causa excogitari non potest, cur deleatur. Quin omni vi retinenda est vox illa, siquidem alias lacuna numeri exoriretur, quam praeter ipsius Sophoclis umbram vix quisquam recte expleret. Denique non facio cum interpretibus, si versum 1492 sq. explicant ita: ἐπαξιοῖ σε καὶ πόλισμα καὶ φίλους, ὥστε παθὼν παρασχεῖν δικαίαν χάριν. Quae ratio, vehementer fallerer, ni deverticulum esset, quod, necessitate minus urgente, profecto nemo quaereret. Obsecro enim, qualis sententia: ἐπαξιοῖ σε, ὥστε παρασχεῖν χάριν: nunc demum multo diviniore, quam quali antea indigebamus, interprete nobis opus est, abs quo edoceamur illa hoc modo intelligenda esse: ἐπαξιοῖ σοι χάριν παρασχεῖν. Nam hocce unum apertum est dici potuisse a Sophocle, nec verba eius diligenter examinantem latere potest has duas hic locutiones coniunctas esse: ἐπαξιοῖ σε δικαίας χάριτος, et, ἐπαξιοῖ σοι δικαίαν χάριν παρασχεῖν.

Totum carmen cum stropha ita, Seidlero maxime duce, disponendum est:

ἔα ἰδοὺ, μάλ' αὖθις ἀμφίσταται
διαπρύσιος ὄτοβος.
Ἴλαος, ὦ δαίμων, Ἴλαος, εἴ τι γᾷ
ματέρι τυγχάνεις ἀφεγγὲς φέρων.
ἐναισίου δὲ συντύχοιμι, μηδ' ἄλαστον ἄνδρ' ἰδὼν,
ἀκερδῆ χάριν μετάσχοιμί πως.
Ζεῦ ἄνα, σοὶ φωνῶ.

ἰὼ ἰὼ παῖ, βᾶθι βᾶθ', εἶτ' ἄκραν
ἢ 'πὶ γύαλον ἁλίῳ
Ποσειδωνίῳ θεῷ τυγχάνεις
βούθυτον ἑστίαν ἁγίζων, Ἴκου.
ὁ γὰρ ξένος σε καὶ πόλισμα καὶ φίλους ἐπαξιοῖ
δικαίαν χάριν παρασχεῖν παθών.
σπεῦσον, ἄϊσσ' ὦ 'νας.

Excursus I. ad §. 28.

Seidlerus de versibus dochmiacis p. 25 sqq. tria praeterea exempla affert illud ad genus pertinentia, ubi, velut in Philoctetae loco v. 1081 et 1100, septimae formae dochmii — — ∪ ∪ ∪ — alia forma respondeat. Tamen exempla ista incertiora sunt, quam quae sine omni examine huc numerari queant. Primum est apud Aeschyl. in Supplicibus v. 445 et 451 [Schütz.],

ἱππηδὸν, ἀμπύκων.

antistr.

ὁμοίαν ϑέμιν.

Codices non variant, nisi quod Ald. et Turn., manifesto per negligentiam scribendi, in stropha habent ἱππηδών. Iam vero versus sunt dochmii; et tamen strophicus numero dochmiaco repugnat. Itaque Bothius in stropha scripsit ἵππιον; Heathius ἵππου, κἀμπύκων, praecedente δίκας mutato in δίκαν, ut sit *equae in morem*; idem coniecit in antistropha ὁμοίαν μὲν ϑέμιν, Schützius ὁμοίαν δὴ ϑέμιν. At, ut omittam omnes has coniecturas nec metrum emendare et sensum depravare, ab utroque versiculo via coniecturarum prorsus est aliena, primum, quod libri eos una voce tuentur, nec tamen metrica eorum ratio tam certa est, propter quam scriptura Aeschyli corrigi possit, deinde, quod omnino neque sensus neque poëtae verba mutationem permittunt. Aliter ne disponamus versus, sicut Pauwius fecit, semel obsistit, quod reliqui et strophae et antistrophae versus praeter 442 et 448 aperte dochmiaci sunt, tum, quod vix ullo alio numero haec quidem stropha cum antistropha exaequari posset, id quod tamen in quovis alio numero necesse esset. Restat igitur, ut Seidlerum clarissimum sequamur, qui de vers. doch. p. 26, not. primam syllabam vocis ἀμπύκων corripiendam esse statuit. Quo facto, habemus in stropha optimum dochmium septimae formae, cui in antistropha consuetissimae primae formae dochmius respondet. Et quidem haec ille sagacissime disputat: „Correptio ante μπ et μπλ fortasse eo vindicari possit, quod recentioris aevi Graeci, qui, quemadmodum ostendit Hermannus de Emend. Gr. Gr. p. 54, vetustum consonantium vim integram ad hunc diem conservarunt, consonas μπ tam leniter pronunciant, ut Latinorum *b* et *ν* per illas literas in sua lingua reddant, veluti *barba* μπάρμπα, *bombyx* μπόμβυξ, *verbena* μπερμπένα, *buccina* μπούκκινα.

Vid. Du Gange Glossar. med. et inf. Graec. c. 967 sqq. " Seidlero assentit Wellauerus ad h. l. Item correptionem istam tuentur Iacobsius ad Anthol. I, p. 160, Toupius in Addendis ad Theocr. p. 402, Musgravius ad Eur. Iph. Aul. 124. Moratur me quidem quod ἄμπυξ nusquam praeterea prima correpta invenitur. Tamen non dubium est, quin in versu Leonidae Tarentini [Iacobs. Anth. l. c.], εὐκαμπὲς ἄγκιστρον καὶ δούρατα δουλιχόεντα, paenultima vocis εὐκαμπὲς brevis sit. Porro saepissime apud tragicos leguntur ἀμπλακεῖν, ἀμπλάκημα, ἀμπλάκητος, ἀναμπλάκητος correpta syllaba ἀμπλ. Quis enim credat doctos usque ad hunc diem in voce ista tam prorsus nihili fecisse auctoritatem librorum, ut propter inane quoddam praeceptum Porsoni, ubicunque in tragicis prima syllaba vocum ἀμπλακεῖν, ἀμπλάκημα, et quae sunt eiusdem familiae, corriperetur, sine mora mutarent ἁπλακεῖν, ἁπλάκημα. Quo in agendi modo praeter neglectionem veterum librorum haec est non minor culpa, quod vocabulum in linguam graecam introduxerunt, quod an unquam exstiterit, longe incertius est, quam illa ipsa syllabarum αμπ et αμπλ apud tragicos correptio; vid. Seidler. l. c. p. 26, not. Ecquod enim certius argumentum est has syllabas revera correptas esse a tragicis, quam multitudo exemplorum, quae una ex parte librorum consensu stabilita sunt, et ubi ex altera parte propter metrum fieri non potest, quin syllabae istae corripiantur. Itaque verum est ἀμπλακημάτων Aeschyl. Prom. 112, ἀμπλακήματα Eumen. 932, verum ἀμπλακίας Eurip. Med. 117, ἀμπλακὼν Iphig. Aul. 124, ἀμπλάκων Alcest. 247, ubi Monkium hanc in formam saevientem verissime refutavit Wüstemannus [v. eundem ad. v. 430], verum denique ἀναμπλάκητοι Soph. Oed. Tyr. 474, et sic porro. Et quidem his omnibus in locis vulgo scriptum est ἀμπλ, non ἁπλ, et omnibus in locis hanc syllabam brevem esse necesse est. Inprimis apud Aeschylum multi loci supersunt, ubi interpretes inconsiderate ac contra libros illud μ eiecerunt. Cui si verum est Porsonum octies formam ἁπλακίας restituisse, octies quoque verior forma ἀμπλακίας restituenda est. Caeterum innumera exempla suppeditat Matth. in gr. §. 24, ubi syllabae ante omnium generum consonas correptae sunt.

Secundum exemplum Seidleri est apud Euripidem in Bacchis v. 940 et 958,

λευρᾶς ἀπὸ πέτρας.

antistr.

θὰ — νατος ἀπροφάσι — στος.

Versus antistrophicus mirifice corruptus est. Atque de hoc, quem Brunckius Camarinam, Elmsleius totius tragoediae difficillimum, Matthiaeus omnium Euripidis tragoediarum difficillimum locum appellat, et de quo tot viri doctissimi tacere maluerunt, quam iudicare, nunc quidem iudicium mihi non sumo. Quamquam, quod scire attinet, certum est,

exstare in stropha dochmium septimae formae, cui in antistropha vel idem vel alius formae dochmius, quaecunque fuerint eius verba, respondeat. Ut, si Hermanni coniecturam, quae certe reliquis omnibus praestat, agnoscimus,

τὰν ἀνίκατον ὡς κρατήσων βίᾳ
γνώμαν σώφρον', ἃ θνατοῖς ἀπροφάσι-
στος εἰς τὰ θεῶν ἔφυ —

habemus dochmio septimae formae eundem dochmium respondentem.

Venio ad tertium locum, qui est apud Euripidem in Medea v. 1242 et 1252. Quem Seidlerus p. 26 et p. 290 scribit:

ἀχὶς Ἀελίου.

antistr.

ἄρα μάταν γένος,

correpta prima vocis Ἀελίου, quem usum Vir illustris plurium locorum auctoritate confirmat p. 103 not. Assentit Elmsleius ad Med. 1219, contradicit Matthiaeus ad Med. 1242 et ad Orest. 993. Item Seidlerum laudat Hermannus ad Soph. Trach. 832, nisi quod exemplorum istorum duo tantum, hoc nostrum et Trachiniarum, aliquod pondus habere dicit, rursus non laudat brevi post in Elmsleii Medea p. 396: nam Trachiniarum exemplum unicum esse, quod iure afferri possit, nec quod in trimetro solutionibus pleno fieri liceat, continuo etiam ad alios versus transferri posse. Videtur igitur ipse Vir clarissimus de correptione ista subdubitare. At non intelligo, quid ponderis exemplis Seidleri desit. Nisi quis librorum auctoritatem pro pondere habere nolit, qua tamen gravius vix esse potest. Et quidem in loco Eur. Phoeniss. 169, ἑῴοις ὅμοια φλεγέθων βολαῖς ἀελίου, tantus est librorum in ἀελίου consensus, ut solus cod. Flor. 2 prosaicum ἡλίου exhibeat; tutum est igitur ἀελίου, sed primam corripuit poëta, nam respondet in antistropha περιβαλών. Porro ibidem v. 175, ὦ λιπαροζώνου θύγατερ ἀελίου, libri ne minimum quidem in voce ista variant; sed primam brevem esse oportet, quia versus est dochmiacus dimeter, neque hic numerus, ∪ ∪ ∪ — ∪ ∪ — [θύγατερ ἄελίου], dochmiacus est. Etiam in nostro Medeae loco scriptura ἀελίου praesidio codicum munitissima est; pro brevi autem primam habere cogit versus antistrophicus ἄρα μάταν γένος φίλιον ἔτεκες, ὦ, qui quamvis infirmus sit, tamen non potest immutari ita, ut respondeat spondeo cum choriambo et dochmio, qualem esse versum strophicum, ἀχὶς Ἀελίου, κατίδετ', ἴδετε τὰν, Matthiaeus statuit; sed uterque aperte est dimeter dochmiacus, atque haec forma, — — — ∪ ∪ —, pugnat cum numero dochmiaco, qui hanc potius requirit, — — ∪ ∪ ∪ —. Denique exemplum Trachiniarum, πῶς ὄθ' ἅν ἀέλιον ἕτερον ἢ ταγὺν ἴδοι, cui respondet versus plane eiusdem mensurae, Hermannus ipse pro certo agnoscit. Solus Orestis versus 993, ἀελίου μετέβαλεν ἅρμα, τὰν ἕσπερον, facile hinc removeri potest, si eum cum Matthiaeo

e duobus dochmiis constare dicimus, quibus medius interiectus sit iambus, hoc modo:

— ∪ ∪ — ∪ ∪ ∪ | ∪ — | ∪ — — ∪ —.

At apud Pindarum Olymp. I, 7. II, 59. Isthm. V, 1. [Heyn.] ubique scripturam ἀ ε λ ί ο υ fere omnes iique optimi libri tuentur, teste Boeckhio ad Olymp. I, 5. Eo incredibilius est hanc maximam librorum auctoritatem editores antiquitus ita nullo loco numeravisse, ut inde a Morellio omnes illic ediderint ἀλίου. Itaque cordi esto futuro Pindari editori, ut, iam Boeckhio quodammodo praeeunte, qui antiquitus apud illum omnibus locis ἀ ε λ ί ο υ scriptum et syllabas in recitatione tantum contractas esse putat, vocem hanc vere Pindaricam Pindaro vindicet. Et quidem omnibus tribus in locis ἀελίου prima correpta usurpatur: namque ubique ἀελι trachaeus esse debet, cuius pes prior solutus est. — Comparent igitur septem loci, in quibus prima syllaba vocis ἀέλιος certissime brevis est, nisi librorum auctoritatem non prorsus flocci facimus. Quamquam ea auctoritas hac ipsa in re summi momenti est, quia ab ea potissimum tota haec disceptatio pendet: nihil est enim gravius in re subtili ipsorum veterum testimonio. Facillimum quidem esset in omnibus illis locis ἀέλιος mutare in ἅλιος, sicut etiam fecere vel Hermannus vel Porsonus vel alii: sed facilis est omnis mutatio; et ἅλιος si quis contra libros scriberet, ubicunque prima in ἀέλιος brevis esse videretur, hanc duplicem culpam contraheret, primum, ut, poëtae rapiens, quod longe maxime poëticum est et propter pleniorem insignioremque sonum iis amicissimum, poëtam depravaret, deinde, ut auctoritatem codicum negligeret in gratiam opinionis, quae ipsa levissimo fundamento nititur. Nam quidquid opponant docti, verissime observat Boeckhius ad Pind. Ol. I, 5, primam syllabam vocis ἀέλιος natura brevem fuisse videri ac nonnisi ex epico usu longam esse. Quum enim tribrachys ille verborum ἀέλιος, ἀθάνατος, ἀκάματος, aliorum, dactylico sive epico numero omnibus modis adversaretur, nec tamen fieri posset, quin ea verba etiam a poëtis epicis crebro usurparentur, mirum non est haec ita ab iis metro suo illigata esse, ut primam eorum usquequaque producerent [v. Herm. Elem. doctr. metr. p. 43, 3], praesertim quum illo tempore mensura ac pronunciatio vocalium magnopere adhuc fluctuavisse atque ambigua fuisse videatur. Sed non magis est mirum seriores poëtas, inprimis tragicos, hanc viam non caecos persecutos esse, sed, prout ipsorum metrum desideraret, vel, uti saepius, praecipue in melicis, epicorum consuetudinem adoptavisse vel ad naturalem ac principalem vocabulorum prosodiam reversos esse. Sic ἴσος, cuius apud Homerum prior syllaba nunquam non producitur, apud tragicos et Pindarum semper correptum est, et ἰσόθεος, quod ab Homero semper prima producta usurpatur, in Eur. Troad. 1159, Iphig. Aul. 616 eam brevem habet, rursus in Aeschyl. Pers. 80. 858, Soph. Ant. 830 Homero auctore longam. [V. Porson. ad Eur. Or.

9, Erfurdt. ad Soph. Ant. l. c.] Θυγατέρος, θυγατέρι etc. apud Homerum usque prima producta exstant, at correpta prima Eur. Orest. 240. 738, Andr. 614. 616, fr. Archel. II, 1. Ἀθάνατος, de quo vehementer erravit Porsonus ad Med. p. 402, I, constantet apud Homerum, plerumque etiam in melicis tragicorum prima producta legitur; contra hoc nunquam fieri in iambicis versibus merito contenderunt Brunckius et Hermannus de metr. poët. graec. et roman. I, p. 66 et 67: nam apud solum Euripidem correpta est prima Helen. 987. 1016, Bacch. 9, Androm. 1232, fr. Philoct. X, 3. — Itaque hoc quidem clarum certumque est primam vocis ἀέλιος saepius a tragicis correptam esse. Iam redeo ad locum, unde digressus sum: is mea sententia ita scribendus est:

ἀκτὶς Ἀελίου.

antistr.

ἄ ρ α μάταν γένος —;

Sic Flor. A. Plurimi pariter atque optimi libri exhibent ἄρα μάταν, quod verissimum est, modo recte notetur. Μάταν ἄρα iam Brunckius et Porsonus, perverso quidem ordine. Interrogationi hic eximius locus, quam nisi admittimus, tota sententia non modo omne robur ac vim amittit, sed etiam singularem in modum languet ac friget; nisi credas Medeae liberos ab alio trucidatos esse, non a Medea ipsa. Respondet autem hoc loco septimae formae dochmio dochmius sextae formae. Caeterum hanc totam Euripidis cantiunculam rectissime disposuit Seidlerus de vers. dochm. p. 290, cuius non viam deserere debebant editores.

Habemus igitur e tribus istis Seidleri exemplis duo saltem, quae coniecturam nostram ad Philoct. 1081, εἶτ' αὐθέρος ἄνω πτωκάδες — ἕλωσί μ'; etiam ab hac parte metrica denuo confirment, postquam vidimus eam et sensui et maxime coniunctivo isti prorsus satisfacere.

Excursus II. ad §. 31.

Mira sunt et veterum et recentiorum grammaticorum de verbi θεωρεῖν etymologia atque significatione commenta. Atque in eo plerique videntur conspirare, quod illud a θεὸς originem ducere existimant. Qua de re et longum et cassum esset diiudicare: quis enim vocabulorum graecorum principia indagaverit hodie, ut non maximam partem frustra laborem susceperit? Sed hoc fateor, syllaba θε atque eo, quod θεωρεῖν saepe de rebus sacris usurpetur, nondum me commoveri, ut in sententiam illorum discedam; certe eodem iure θέα, θεᾶσθαι, θέατρον a *deo* derivanda essent. Omnino vero quid attinet scire originem, modo

usum sciamus. Nego enim ac pernego verbum θεωρεῖν unquam activa vi legi, qua significet *facere, ut quis inspectet* vel *mittere, qui inspectet.* Θεωρεῖν est *contempluri, inspectare, intueri;* hinc *interesse*, inprimis ludis aliisque solemnibus. Xenoph. Anab. I, 2, 16, ἐθεώρει ὁ Κῦρος πρῶτον μὲν τοὺς βαρβάρους, εἶτα δὲ τοὺς Ἕλληνας: *lustrabat.* Cf. II, 4, 25 et 26. VI, 2, 1. Hellen. IV, 5, 6. Symp. c. 7, 3. Item Anabas. I, 2, 10, ἐθεώρει τὸν ἀγῶνα καὶ Κῦρος. Herod. VIII, 25, οἱ δέ σφι ἔλεγον, ὡς θεωρέοιεν ἀγῶνα γυμνικὸν καὶ ἱππικόν. Ibid. I, 59, Ἱπποκράτεϊ θεωρέοντι τὰ Ὀλύμπια τέρας ἐγένετο. Thucyd. V, 18, περὶ μὲν τῶν ἱερῶν τῶν κοινῶν — μαντεύεσθαι καὶ θεωρεῖν τὸν βουλόμενον: *licere cuilibet oraculum consulere et interesse rebus sacris:* male enim scholiastes Thucydidis interpretatur hoc θεωρεῖν, θεωροὺς πέμπειν, ut sit *mittere, qui oraculum consulerent;* quod satis superque iam indicatum est verbo μαντεύεσθαι. Attuli haec exempla, quibus facile possem viginti alia adiungere, ut appareret, quam inconsiderate Ammonius reprehenderit eos, qui dicant θεωρῆσαι τὸν ἀγῶνα, cum θεωρεῖν tantum sit τὸ τῶν θεῶν ὠρεῖν. Quod prorsus est fictum commenticiumque. Iam vero mos erat Graeciae, ut cuique festo publico atque universae graecae nationis communi, ubicunque illud celebraretur, singulae civitates *interessent.* Quod etsi fiebat legatis missis, qui personam illarum susciperent, tamen totis civitatibus tribuebant Graeci, quod singuli earum nomine faciebant, dicebantque ipsas civitates festum aliquod θεωρεῖν. Hic autem tum rei natura tum consuetudo loquendi tulit, ut praegnans fieret vis huius verbi atque notione *proficiscendi* adspersa diceretur θεωρεῖν εἰς, quod est, θεωρήσοντα πορεύεσθαι εἰς. Ita Aristoph. Vesp. 1189, ἐγὼ δὲ τεθεώρηκα πώποτ' οὐδαμοῦ, πλὴν ἐς Πάρον. Thuc. III, 104, ξύν τε γὰρ γυναιξὶ καὶ παισὶν ἐθεώρουν ὥςπερ νῦν ἐς τὰ Ἐφέσια Ἴωνες. Ibid. VIII, 10, ἐν δὲ τούτῳ τὰ Ἴσθμια ἐγίγνετο, καὶ οἱ Ἀθηναῖοι, ἐπηγγέλθησαν γὰρ αἱ σπονδαὶ, ἐθεώρουν ἐς αὐτά. Refellitur hoc ultimo exemplo, id quod hic quoque scholiastae quidam allucinantur, θεωρεῖν esse θεωροὺς πέμπειν. Quod quum sit nunquam, tum ab hoc loco alienissimum est. Sed Atheniensibus ipsis spectationem ludorum Isthmicorum attribui, patet ex hac orationis serie: οἱ Ἀθηναῖοι ἐθεώρουν ἐς αὐτά — καὶ ἐπειδὴ ἀνεχώρησαν, παρεσκευάζοντο: est enim omnium trium verborum idem *subiectum* Athenienses. Nec minus errant, qui docent θεωρεῖν etiam significare *oraculum consulere.* Cuius insolentis significationis apud antiquiores quidem ne unum quidem exemplum obvium est. Neque huc pertinet Plat. Epist. III, A., σὺ μὲν γὰρ δὴ καὶ τὸν θεὸν, ὥςπερ ἤγγειλαν οἱ τότε θεωροῦντες, προεῖπες ἐν Δελφοῖς αὐτῷ τούτῳ θωπεύσας τῷ ῥήματι, ubi οἱ τότε θεωροῦντες nihil aliud significat, nisi *qui tunc spectarunt* i. e. *affuerunt.* Paulo alia ratio est substantivi θεωρὸς; cuius, inprimis a serioribus scriptoribus, magis magisque immutata notio est. Quum enim, civitatibus festum aliquod *inspectantibus*

Pag. 62 lin. ult. pro ἔν δέ scr. ἔν δέ.
— 77 — paenult. pro *antiquiore* scr. *antiquior*.
— 96 — 18 pro *propterea* scr. *proprie*.
— 100 — 7 pro *Epicis* scr. *epicis*.
— 102 — 18 pro *Atticos scriptores* scr. *atticos script*.
— Ibid. — 24 pro *Epicis* scr. *epicis*.
— Ibid. — 26 pro *Atticis scriptoribus* scr. *atticis script*.
— 128 — 6 pro *Nec minus* scr. *Nec minus recte*, et statim post pro *Quum enim recte metrum est*. — *Quum enim metrum est*.
— 132 — 6 pro ἑλῶσαί scr. ἑλῶσί.

Pag. 62 lin. ult. pro ἔν δέ scr. ἔν δέ.
— 77 — paenult. pro *antiquiore* scr. *antiquior*.
— 96 — 18 pro *propterea* scr. *proprie*.
— 100 — 7 pro *Epicis* scr. *epicis*.
— 102 — 18 pro *Atticos scriptores* scr. *atticos script*.
— Ibid. — 24 pro *Epicis* scr. *epicis*.
— Ibid. — 26 pro *Atticis scriptoribus* scr. *atticis script*.
— 128 — 6 pro *Nec minus* scr. *Nec minus recte*, et statim post pro *Quum enim recte metrum est*. — *Quum enim metrum est*.
— 132 — 6 pro ἕλῶσί scr. ἑλῶσί.